MATVRINI MONTANI PETRAGORICI COMMENTARII

In Nouellam Iustiniani Imp. siue Auth.

De Hæred. ab intest. uenient.

ET

De Agnatorum iure sublato.


In quibus ab incunabulis legis XII. *tabularum breuiter methodico ordine tota successionis intestatæ materia tractatur: res quotidiana, & quæ in foro magnum usum habet.*

Adiecta sunt eiusdem quædam singularia successionis in feudo.



LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
M. D. XLIX.

CLARISSIMO VIRO
D. GVLIELMO COMITI CVRIAE BVRDIGALENSIS PRAESIDI
MATVRINVS MONTANVS S. P. D.



VM superiori anno nostri Tuberonis exemplum secutus relicto foro ad pristina iuris ciuilis studia reuersus essem, Praeses aequissime ac integerrime, & in hac Pictonum urbe legum iurisq; studio florente pestilentiae metu uerius, quàm pestilentia saeuiente, optimatum consilio iuris ciuilis clausae essent scholae, ne malum latius serperet: nihil habui antiquius, nihil mihi prius faciendum putaui, quàm ut studijs filij tui mihi in disciplinam traditi cõsulerem, & ut raram diuinamq; huius indolem, atque aetatem spei maximae plenam pro uirili parte alerem. Quare cùm intra priuatos parietes illi unà cum aliquot nobilibus adolescentibus successionem testamentariam docendi quadam perpetua breuitate perlegissem: nostri officij esse duximus, ad inuestigandos successionis intestatae gradus, Nouellam Constitutionem siue Νεαρὰν *Iustiniani, quae iura agnationis & cognationis tollit, & successiones ab intestato praescribit, illi discendam proponere, saepius offensus interpretis non ignoratione modò, & inscitia rerum, sed etiam infantia ac impuritate loquendi: ut is gustata semel frugum optimarum suauitate glandem posthac fastidire, & fucata à natiuis, uera & proba à falsis & adulterinis dignoscere inciperet. Et quò facilius percepto fuco id fieret, Graecam* Νεαρὰν *cum uulgata receptaq; translatione coniunxi. Id cùm facerem, obiter fortè inchoaui quoddam eius constitutionis ueluti argumentum, ac tandem breuem Commentarium ex optimis qui-*

busque collegi, illiq; ac cæteris, qui tum mihi operam dabant inter legendum dictaui: Quem ut emitterem & diuulgarem, non solum ij, sed etiam æquales mei quotidiano prope conuitio efflagitabant. Equidem optabam eum esse, qui & aliorum expectationi respondere, & quod est de me opinionis, siquid est modò, & quicquid tandem id est, tueri, uel me potius ab omni culpa liberare posset. Nam multis inanem & ieiunum, qui mihi talis uideretur, uideri posse facile augurabar: in quo non ingenium modò aliquod non ostendere, sed nec diligentiam ullam ostentare possem. Ideoq; supprimere animus erat, nisi eum Petrus Du Mas affinis tuus, & discipulus noster antiquus, & diligentissimus, atque etiam doctissimus quotidianis efflagitationibus extorsisset: dum serius affirmabat è re iuuentutis futurum, si in manus hominum deueniret. Quare ut meo & hortatorum studio satisfacerem, tandem irrumpere, & quod otium dabatur, in hoc negotium conuertere coactus fui. hoc est, quid in hac Nouellæ constitutione explicanda possem, siquid possem modò, quod certè sentio quàm sit exiguum, experiundo tentare. Itaque eo maiore fiducia aggressus sum, quòd in hoc argumento quædam sic à me tractata sunt, ut laborem meum tibi non ingratum fore confidam. Etenim dedi operam, non ut uulgus interpretum subtilitate uincerem, quod plerique ad ingenij ostentationem faciunt, nec adeò futurum erat difficile. sed primùm ut ueriora, certiora, atque utiliora traderem: deinde ut omnia purius, nitidius, distinctius, & clarius docerem, quàm ab eis factum sit. Quod uolui fortassis usquequaque consecutus non sum. Nec mihi tantùm arrogo, ut plenè cumulateq; id à me præstitum arbitrer. Attamē in hac parte nonnihil nos iuuasse discentium studia, quibus nonnullorum in hanc Nouellam præsertim scripta magnopere adhuc officere uisa sunt, ipse opinor non negabis. Hac igitur si non prima,

ma, at certè omnium princeps causa. Habes, Præses illustrissime, non solum cur hoc negotium susceperim, sed etiam quid effecerim, aut efficere conatus sim. Quicquid in hac re mihi confectum est, hoc qualecunque est, tuo nomine diuulgandum existimaui: propterea quòd si more maiorum Commentarius noster aut patronum adoptat, aut (ut ait M. Tullius) quasi munusculum leuidense mittitur, hic neque patrocinium fidelius quàm tuum, neque uirum digniorem, cui generis huius munera afferantur, inuenire posset. Neminem (quod sciam) reperiet usquam politicum magis, atque scientiæ ciuilis amantiorem, & qui maiore studio literatos omnes & munus è literis amplectatur. Si quærit hominem mansuetum, mitem, molestiarum patientem, qui nulli noceat, utilitati communi seruiat, quoniam is maxime natus est ad societatem comitatemq́ue generis humani, non uideo quem nomine comitatis, clementiæ, benignitatis, consociationis humanæ tibi præferri posit. Si igitur tractari cupit ab eo, cui uis est innata iuris, qui ius & æquitatem uincula ciuitatis obseruat, nullum cognoui (me Dij ament) cui natura sit ad æquum bonumq́ue propensior, callido uersutoq́ue iuri magis inimica: cui uilis semper fuit pecunia, uilior auara nundinatio, multo fœdissima in exigendo supprimendoq́ue nummo impudentia: cuius domus est miserorum perfugium, bonorum liberale, & splendidum hospitium. Et hoc nomine apud indytam & illustrem Nauarræ reginam, præstantissimam, sanctissimamq́ue fœminam, & supra muliebrem sexum, literis omnibus eruditam, magno semper in pretio & honore fuisti. Scio, & certò scio non defuturos qui me grauiter arguendum putent, quòd decimam forte, uel duodecimam tuarum laudum partem attigerint. Sed cogitent me spatijs iniquis exclusum fuisse, & ante oculos semper habuisse, os illud uerecundum, quod non solum blanditias & assentationes (à quibus semper ipse abhor-

 reo)

reo) sed etiam notam ueramq́; laudem ferre non posset. Quod superest, Præses clarissime, uehementer te etiam atque etiam rogo, ut hanc qualemcunque lucubratiunculam oblatam benigno animo, ac hilari fronte suscipias: & pro ea humanitate, qua hactenus me es prosecutus, tanquam Aiax ille Homericus periclitantem sub clypeo tuo protegas. Vale.

De Hæredibus ab inteſtato uenientibus, & de Agnatorum iure ſublato.

ἩΔΙΆΤΑΞΙΣ ΡΙΉ ἈΝΕΡΟΥ͂ΣΑ τὰ ἀγνατικὰ καὶ κογνατικὰ δίκαια, καὶ τυποῦσα τὰς ἐξ ἀδιαθέτου κλήσεις.

COLLATIO NONA.

IMPERATOR IVſtinianus A. *Petro gloriosiſs. Præfecto sacrorum prætoriorum Orientis.*

PLVRIMAS & diuerſas leges ueteribus temporibus prolatas inuenientes, per quas non iuſtè differentia ab inteſtato ſucceſsionis inter cognatos ex maſculis & fœminis introducta eſt: neceſſarium eſſe perſpeximus, omnes ſimul ab inteſtato cognationum ſucceſsiones, per præſentem legem clara compendioſaq́; diuiſione diſponere. Itaq; prioribus legibus pro hac cauſa poſitis uacantibus, de cætero ea ſola

Ὁ ΑΥ̓ΤῸΣ ΒΑΣΙΛΕΎΣ *Πέτρῳ τῷ ἐνδοξοτάτῳ ὑπάρχῳ τῶν ἱερῶν τῆς ἑῴας πραιτωρίων.*

ΠΟΛΛΟΥ͂Σ καὶ διαφόρους νόμους ἐν τοῖς παλαιοτέροις χρόνοις ἐκπεφωνημένους εὑρίσκοντες, δι' ὧν οὐ δικαίως διαφορὰ τῆς ἐξ ἀδιαθέτου διαδοχῆς μεταξὺ τῶν συγγενῶν ἐξ ἀρρένων τε καὶ θηλειῶν εἰσενήνεκται: ἀναγκαῖον εἶναι συνείδομεν, πάσας ὁμοῦ τὰς ἐξ ἀδιαθέτου τῆς συγγενείας διαδοχὰς διὰ τοῦ παρόντος νόμου σαφεῖ καὶ συντόμῳ διαιρέσει διατυπῶσαι, ὥστε τῶν προτέρων νόμων τῶν ὑπὲρ ταύτης τῆς αἰτίας τεθειμένων ἀργούντων, τοῦ λοιποῦ ταῦτα μόνα παραφυλάτ

seruari, quae nunc constituimus. Quia igitur omnis generis ab intestato successio tribus cognoscitur gradibus, hoc est ascendentium, & descendentium, & ex latere (quę in agnatos cognatosq́; diuiditur) primam esse disposuimus descendentium successionem. Si quis igitur descendentium fuerit ei, qui intestatus moritur, cuiuslibet naturae aut gradus, siue ex masculorum genere, siue ex foeminarum descendēs, & siue suae potestatis, siue sub potestate sit: omnibus ascendentibus & ex latere cognatis praeponatur. Licet enim defunctus sub alterius potestate fuerit: tamen eius filij cuiuslibet sexus, aut gradus sint, etiam ipsis parentibus praeponi pręcipimus, quorum sub potestate fuerit, qui defunctus est, in illis uidelicet rebus, quę secundum nostras alias leges parentibus non acquiruntur. Nam in usu harum rerum, qui debet acquiri aut seruari, nostras de his omnibus leges parentibus custodimus: sic tamen, ut si quem horum descendentium filios relinquentem mori contigerit, illius filios, aut filias, aut alios descendentes, in proprij parentis locum succedere, siue sub potestate defuncti, siue suę potestatis inueniantur: tantam de haereditate morientis accipientes partem quanticunque sint, quantam eorum parens si ui-

λάττεσθαι ἅπερ νῦν διατυποῦμεν. Ἐπειδὴ τοίνυν πᾶσα ἡ τοῦ γένους ἐξ ἀδιαθέτου διαδοχὴ τρισὶ γνωρίζεται τάξεσι, τουτέστι τῇ τῶν τε ἀνιόντων, καὶ τῇ τῶν κατιόντων, καὶ τῇ τῶν ἐκ πλαγίου, ἥ τις εἰς ἀγνάτους καὶ κογνάτους διαιρεῖται: πρώτην εἶναι τὴν τῶν κατιόντων διαδοχὴν τυποῦμεν. Εἴ τις τοίνυν τῶν κατιόντων ὑπείη τῷ ἀδιαθέτως τελευτήσαντι, οἵας δήποτε φύσεως ἢ βαθμοῦ, εἴτε ἐξ ἀῤῥενογονίας, εἴτε ἐκ θηλυγονίας καταγόμενος, καὶ εἴτε αὐτεξούσιος, εἴτε ὑπεξούσιος εἴη: πάντων τῶν ἀνιόντων καὶ τῶν ἐκ πλαγίου συγγενῶν προτιμάσθω. κἂν γὰρ ὁ τελευτήσας ἑτέρου τινὸς ὑπεξούσιος ἦν, ὅμως τοὺς αὐτοῦ παῖδας οἵας δήποτε ἂν ὦσι φύσεως ἢ βαθμοῦ, καὶ αὐτῶν τῶν γονέων προτιμᾶσθαι κελεύομεν, ὧν ὑπεξούσιος ἦν ὁ τελευτήσας: ἐπ' ἐκείνοις δηλαδὴ τοῖς πράγμασιν, ἅτινα κατὰ τοὺς ἄλλους ἡμῶν νόμους τοῖς πατράσιν οὐ προσπορίζεται. Ἐπεὶ γὰρ ὧν χρῆσις τῶν πραγμάτων τούτων ὤφειλε προσπορίζεσθαι ἢ φυλάττεσθαι, τοὺς περὶ τούτων ἡμῶν νόμους τοῖς γονεῦσι φυλάττομεν: οὕτω μέντοι γε, ὥστε εἴ τινα τούτων τῶν κατιόντων παῖδας καταλιπόντα τελευτῆσαι συμβαίη, τοὺς ἐκείνου υἱούς, ἢ θυγατέρας, ἢ τοὺς ἄλλους κατιόντας, εἰς τὸν τοῦ ἰδίου γονέως τόπον ὑπεισιέναι, εἴτε ὑπεξούσιοι τῷ τελευτήσαντι, εἴτε αὐτεξούσιοι εὑρεθεῖεν. τοσοῦτον ἐκ τῆς κληρονομίας τοῦ τελευτήσαντος λαμβάνοντες μέρος, ὅσοι δήποτε ἂν ὦσιν, ὅσον ὁ αὐτῶν γονεὺς, εἰ περιῆν, ἐκομίζετο, ἥν τινα διαδοχὴν in stirpes

reo) ſed etiam notam ueramq́; laudem ferre non poſſet. Quod ſupereſt, Præſes clariſſime, uehementer te etiam atque etiam rogo, ut hanc qualemcunque lucubratiunculam oblatam benigno animo, ac hilari fronte ſuſcipias: & pro ea humanitate, qua hactenus me es proſecutus, tanquam Aiax ille Homericus periclitantem ſub clypeo tuo protegas. Uale.

De Hæredibus ab inteſtato uenientibus, & de Agnatorum iure ſublato.

Ἡ ΔΙΑΤΑΞΙΣ ΡΙΗ' ἈΝΕΡΟΥ͂ΣΑ τὰ ἀδγνατικὰ καὶ κογνατικὰ δίκαια, καὶ τυπῶσα τὰς ἐξ ἀδιαθέτου κλήσεις.

COLLATIO NONA.

IMPERATOR IVſtinianus A. Petro glorioſiſſ. Præfecto ſacrorum prætoriorum Orientis.

PLVRIMAS & diuerſas leges ueteribus temporibus prolatas inuenientes, per quas non iuſtè differentia ab inteſtato ſucceſſionis inter cognatos ex maſculis & fœminis introducta eſt: neceſſarium eſſe perſpeximus, omnes ſimul ab inteſtato cognationum ſucceſſiones, per præſentem legem clara compendioſaq́; diuiſione diſponere. Itaq; prioribus legibus pro hac cauſa poſitis uacantibus, de cætero ea ſola

Ὁ ΑΥ̓ΤῸΣ ΒΑΣΙΛΕῪΣ Πέτρῳ τῷ ἐνδοξοτάτῳ ὑπάρχῳ τῶν ἱερῶν τῆς ἑώας πραιτωρίων.

ΠΟΛΛΟῪΣ καὶ διαφόρους νόμους ἐν τοῖς παλαιοτέροις χρόνοις ἐκπεφωνημένους εὑρίσκοντες, δι' ὧν οὐ δικαίως διαφορὰ τῆς ἐξ ἀδιαθέτου διαδοχῆς μεταξὺ τῶν συγγενῶν ἐξ ἀρρένων τε καὶ θηλειῶν εἰσενήνεκται: ἀναγκαῖον εἶναι συνείδομεν, πάσας ὁμοῦ τὰς ἐξ ἀδιαθέτου τῆς συγγενείας διαδοχὰς διὰ τοῦ παρόντος νόμου σαφεῖ καὶ συντόμῳ διαιρέσει διατυπῶσαι, ὥστε τῶν προτέρων νόμων τῶν ὑπὲρ ταύτης τῆς αἰτίας τεθειμένων ἀργούντων, τοῦ λοιποῦ ταῦτα μόνα παραφυλάττ

ſeruari, quæ nunc conſtituimus. Quia igitur omnis generis ab inteſtato ſucceſsio tribus cognoſcitur gradibus, hoc eſt aſcendentium, & deſcendentium, & ex latere (quę in agnatos cognatosq; diuiditur) primam eſſe diſpoſuimus deſcendentium ſucceſsionem. Si quis igitur deſcendentium fuerit ei, qui inteſtatus moritur, cuiuslibet naturæ aut gradus, ſiue ex maſculorum genere, ſiue ex fœminarum deſcendēs, & ſiue ſuæ poteſtatis, ſiue ſub poteſtate ſit; omnibus aſcendentibus & ex latere cognatis præponatur. Licet enim defunctus ſub alterius poteſtate fuerit: tamen eius filij cuiuslibet ſexus, aut gradus ſint, etiam ipſis parentibus præponi pręcipimus, quorum ſub poteſtate fuerit, qui defunctus eſt, in illis uidelicet rebus, quę ſecundum noſtras alias leges parentibus non acquiruntur. Nam in uſu harum rerum, qui debet acquiri aut ſeruari, noſtras de his omnibus leges parentibus cuſtodimus: ſic tamen, ut ſi quem horum deſcendentium filios. relinquentem mori contigerit, illius filios, aut filias, aut alios deſcendentes, in proprij parentis locum ſuccedere, ſiue ſub poteſtate defuncti, ſiue ſuę poteſtatis inueniantur: tantam de hæreditate morientis accipientes partem quanticunque ſint, quantam eorum parens ſi ui-

λάττεσθαι ἅπερ νῦν διατυποῦμεν. Ἐπειδὴ τοίνυν πᾶσα ἡ τοῦ γένους ἐξ ἀδιαθέτου διαδοχὴ τρισὶ γνωρίζεται τάξεσι, τουτέστι τῇ τῶν τε ἀνιόντων, καὶ τῇ τῶν κατιόντων, καὶ τῇ τῶν ἐκ πλαγίου, ἥ τις εἰς ἀγνάτους καὶ κογνάτους διαιρεῖται: πρώτην εἶναι τὴν τῶν κατιόντων διαδοχὴν τυποῦμεν. Εἴ τις τοίνυν τῶν κατιόντων ὑπείη τῷ ἀδιαθέτως τελευτήσαντι, οἵας δήποτε φύσεως ἢ βαθμοῦ, εἴτε ἐξ ἀρρενογονίας, εἴτε ἐκ θηλυγονίας καταγόμενος, καὶ εἴτε αὐτεξούσιος, εἴτε ὑπεξούσιος εἴη: πάντων τῶν ἀνιόντων καὶ τῶν ἐκ πλαγίου συγγενῶν προτιμάσθω. κἂν γὰρ ὁ τελευτήσας ἑτέρου τινὸς ὑπεξούσιος ἦν, ὅμως τοὺς αὐτοῦ παῖδας οἵας δήποτε ἂν ὦσι φύσεως ἢ βαθμοῦ, καὶ αὐτῶν τῶν γονέων προτιμᾶσθαι κελεύομεν, ὧν ὑπεξούσιος ἦν ὁ τελευτήσας: ἐπ' ἐκείνοις δηλαδὴ τοῖς πράγμασιν, ἅτινα κατὰ τοὺς ἄλλους ἡμῶν νόμους τοῖς πατράσιν οὐ προσπορίζεται. Ἐπεὶ γὰρ ὧν χρῆσις τῶν πραγμάτων τούτων ὀφείλει προσπορίζεσθαι ἢ φυλάττεσθαι, τοὺς περὶ τούτων ἡμῶν νόμους τοῖς γονεῦσι φυλάττομεν: οὕτω μέντοι γε, ὥστε εἴ τινα τούτων τῶν κατιόντων παῖδας καταλιπόντα τελευτῆσαι συμβαίη, τοὺς ἐκείνου υἱοὺς, ἢ θυγατέρας, ἢ τοὺς ἄλλους κατιόντας, εἰς τὸν τοῦ ἰδίου γονέως τόπον ὑπεισιέναι, εἴτε ὑπεξούσιοι τῷ τελευτήσαντι, εἴτε αὐτεξούσιοι εὑρεθεῖεν. τοσοῦτον ἐκ τῆς κληρονομίας τοῦ τελευτήσαντος λαμβάνοντες μέρος, ὅσοι δήποτε ἂν ὦσιν, ὅσον ὁ αὐτῶν γονεὺς, εἰ περιῆν, ἐκομίζετο, ἥν τινα διαδοχὴν in ſtirpes

ueret, habuiſſet: quam ſucceſſionem in ſtirpes uocauit antiquitas. In hoc enim ordine gradum quæri nolumus, ſed cum filijs & filiabus ex præmortuo filio, & filia nepotes uocari ſancimus: nulla introducẽda differentia ſiue maſculi, ſiue fœminæ ſint, & ſeu ex maſculorũ ſeu fœminarum prole deſcendant, ſiue ſuæ poteſtatis, ſiue ſub poteſtate ſint conſtituti. Et hæc quidem de ſucceſsione deſcendentiũ diſpoſuimus. Conſequens autem eſſe perſpeximus, & de aſcendentibus conſtituere, quomodo ad deſcendentium ſucceſsionem uocentur. Si igitur defunctus deſcendentes quidem non relinquat hæredes, pater autem, aut mater, aut alij parentes eis ſuperſint, omnibus ex latere cognatis eos præponi ſancimus; exceptis ſolis fratribus ex utroq; parente coniunctis defuncto, ſicut infrà dicemus. Si autem plurimi aſcendentium uiuunt, hos præponi iubemus, qui proximi gradu reperiuntur, maſculos & fœminas: ſiue paterni, ſiue materni ſint. Si autem eundem habent gradum, ex æquo inter eos hæreditas diuidatur: ut medietatem quidem accipiant omnes à patre aſcendentes, quanticunq; fuerint: medietatem uerò reliquã à matre aſcendentes, quantoſcunq; eos inueniri contigerit. Si uerò cum aſcendentibus in-

pes ἡ ἀρχαιότης ἐκάλεσεν. Ἐπὶ ταύτης γὰρ τῆς τάξεως τὸν βαθμὸν ζητεῖσθαι οὐ βουλόμεθα, ἀλλὰ μετὰ τῶν υἱῶν καὶ τῶν θυγατέρων τοὺς ἐκ τοῦ προτελευτήσαντος υἱοῦ ἢ θυγατρὸς ἐγγόνους καλεῖσθαι θεσπίζομεν. οὐδεμιᾶς εἰσαγομένης διαφορᾶς, εἴτε ἄρρενες, εἴτε θήλειαι ὦσι, καὶ εἴτε ἐξ ἀρρενογονίας, εἴτε ἐκ θηλυγονίας κατάγονται, εἴτε ὑπεξούσιοι, εἴτε καὶ αὐτεξούσιοι εἶεν. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς τῶν κατιόντων διαδοχῆς διετυπώσαμεν. Ἀκόλουθον δὲ εἶναι συνείδομεν καὶ περὶ τῶν ἀνιόντων διατάξασθαι ὅπως ἂν εἰς τὴν τῶν κατιόντων κληθεῖεν διαδοχήν. Εἰ τοίνυν ὁ τελευτήσας κατιόντας μὲν μὴ καταλίποι κληρονόμους, πατὴρ δὲ ἢ μήτηρ ἢ ἄλλοι γονεῖς αὐτῶν ἐπιζήσουσι: πάντων ἐκ πλαγίου συγγενῶν τούτους προτιμᾶσθαι θεσπίζομεν, ἐξῃρημένων μόνων ἀδελφῶν καὶ ἀδελφοπαίδων ἐξ ἑκατέρου γονέως συναπτομένων τῷ τελευτήσαντι, ὡς διὰ τῶν ἑξῆς δηλωθήσεται. Εἰ δὲ πολλοὶ τῶν τοιούτων περίεισι, τούτους προτιμᾶσθαι κελεύομεν, οἵτινες ἐγγύτεροι τῷ βαθμῷ εὑρεθεῖεν, ἄρρενάς τε καὶ θηλείας, εἴτε πρὸς πατρὸς, εἴτε πρὸς μητρὸς εἶεν. Εἰ δὲ τὸν αὐτὸν ἔχουσι βαθμὸν, ἐξ ἴσης εἰς αὐτοὺς ἡ κληρονομία διαιρεθήσεται, ὥστε τὸ ἥμισυ λαμβάνειν πάντας τοὺς πρὸς πατρὸς ἀνιόντας, ὅσοι δήποτε ἂν ὦσι: τὸ δὲ ὑπόλοιπον ἥμισυ τοὺς πρὸς μητρὸς ἀνιόντας, ὅσους δήποτε ἂν αὐτοὺς εὑρεθῆναι συμβαίη. Εἰ δὲ μετὰ τῶν ἀνιόντων εὑρεθῶσιν οἱ ἀδελφοὶ, ἢ ἀδελφόπαιδες ἐξ ἑκατέρων γονέων συναπτόμενοι

τῷ

uenia ntur fratres, aut sorores ex utrisq; parentibus coniuncti defuncto: cum proximis gradu ascendētibus uocabuntur. Si autem pater aut mater fuerint, diuidenda inter eos quippe hæreditate secundum personarum numerum, uti & ascendentium & fratrum singuli æqualem habeant portionem, nullum usum ex filiorum aut filiarum portione ualente patre in hoc casu sibi uendicare: quoniam pro hac usus portione, hæreditatis ius & secundum proprietatem per præsentem dedimus legem: differentia nulla seruanda inter personas istas, siue fœminę, siue masculi fuerint, qui ad hæreditatem uocantur: & siue per masculi, siue per fœminæ personam copulantur: & siue suæ potestatis siue sub potestate sint eius cui succedunt fratres. Reliquum est ut tertium ordinem decernamus, qui uocatur ex latere, & in agnatos & cognatos diuiditur: ut etiam hac parte disposita undique perfecta lex inueniatur. Si igitur defunctus neque descendentes, neque ascendentes reliquerit, primùm ad hæreditatem uocamns fratres & sorores ex eodem patre & ex eadem matre natos: quos etiam cum patribus ad hæreditatem uocauimus. His autem non existentibus in secundo ordine illos fratres ad hæreditatem uoca-

τῷ τελευτήσαντι: μετὰ τῶν ἐγγυτέρων τῷ βαθμῷ ἀνιόντων κληθήσονται: εἰ καὶ πατὴρ ἢ μήτηρ εἴησαν, διαιρουμένης εἰς αὐτοὺς δηλαδὴ τῆς κληρονομίας κατὰ τὸν τῶν προσώπων ἀριθμόν, ἵνα καὶ τῶν ἀνιόντων καὶ τῶν ἀδελφῶν ἕκαστος ἴσην ἔχοι μοῖραν, ἀλλὰ καὶ οἱ ἀδελφόπαιδες τὴν μοῖραν τοῦ ἰδίου γονέως λαμβάνουσι. οὐδὲ μίαν χρῆσιν ἐκ τῆς τῶν υἱῶν ἢ θυγατέρων μοίρας ἐν τούτῳ τῷ θέματι δυναμένου τοῦ πατρὸς ἑαυτῷ παντελῶς ἐκδικεῖν: ἐπειδὴ ἀντὶ ταύτης τῆς χρήσεως μέρος αὐτῷ τῆς κληρονομίας καὶ κατὰ δεσποτείας δίκαιον διὰ τοῦ παρόντος δεδώκαμεν νόμου. οὐδεμιᾶς φυλαττομένης, διαφορᾶς μεταξὺ τῶν προσώπων τούτων, εἴτε θήλειαι, εἴτε ἄρρενες εἴησαν οἱ πρὸς τὴν κληρονομίαν καλούμενοι. καὶ εἴτε δι' ἄρρενος ἢ θήλεος προσώπου συνάπτονται, καὶ εἴτε αὐτεξούσιος, εἴτε ὑπεξούσιος ἦν, ὃν διαδέχονται. Ὑπόλοιπόν ἐστιν, ἵνα καὶ τὴν τρίτην ὁρίσωμεν τάξιν, ἥ τις ἐκ πλαγίου καλεῖται, καὶ εἰς ἀγνάτους ἢ κογνάτους διαιρεῖται, ἵνα καὶ τούτου τοῦ μέρους διατυπωθέντος πανταχόθεν ὁ νόμος τέλειος εὑρεθείη. Εἰ τοίνυν ὁ τελευτήσας, μηδὲ κατιόντας, μηδὲ ἀνιόντας καταλείψει: πρώτους πρὸς τὴν κληρονομίαν καλοῦμεν τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς ἀδελφὰς τοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ πατρός, καὶ τῆς αὐτῆς μητρὸς τεχθέντας, ὁμοίως δὲ καὶ ἀδελφόπαιδας, οὓς καὶ μετὰ τῶν πατέρων πρὸς τὴν κληρονομίαν ἐκαλέσαμεν. Τούτων δὲ μὴ ὑπόντων, ἐν δευτέρᾳ τάξει ἐκείνους τοὺς ἀδελφοὺς πρὸς τὴν κληρονομίαν καλοῦμεν, οἵτινες ἐξ ἑνὸς γονέως συνάπτονται τῷ τελευ-

mus, qui ex uno parente coniuncti sunt defuncto, siue per patrem solum, siue per matrē. Si autem defuncto fratres fuerint, & alterius fratris, aut sororis praemortuorum filij, uocabuntur ad haereditatem isti, cum de patre & matre theiois masculis & foeminis, & quanticunq; fuerint, tantam ex haereditate percipient portionem, quantam eorum parens futurus erat accipere, si superstes esset. Vnde consequens est, ut si fortè praemortuus frater, cuius filij uiuunt, per utrāq; partem nunc defunctae personae iungebatur, superstites autem fratres per patrem solùm forsan, aut matrem ei iungebantur: praeponantur istius filij proprijs theiois, licet in tertio sint gradu, siue à patre, siue à matre sint theioi: & siue masculi, siue foeminę sint, sicut eorum parens praeponeretur, si uiueret. Ex diuerso siquidem frater superstes ex utroq; parēte coniungetur defuncto, pręmortuus autē per unum parētem iungebatur: huiusmodi filios ab hęreditate excludimus: sicut ipse si uiueret, ab haereditate excludebatur. Huiusmodi uerò priuilegiū in hoc ordine cognationis solis prębemus fratrum masculorū & foeminarū filijs, aut filiabus, ut in suorum parētum iure succedant. Nulli alij omnino personę ex hoc ordine uenientī hoc ius largimur.

τήσαντι, εἴτε διὰ τοῦ πατρὸς μόνου, ἢ τῆς μητρός. Εἰ δὲ τῷ τελευτήσαντι ἀδελφοὶ ὑπεῖσαν, καὶ ἑτέρου ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς προτελευτησάντων παῖδες: κληθήσονται πρὸς τὴν κληρονομίαν οὗτοι μετὰ τῶν πρὸς πατρὸς καὶ πρὸς μητρὸς θείων ἀῤῥένων τε καὶ θηλειῶν, καὶ ὅσοι δήποτε ἂν ὦσι, τοσοῦτον ἐκ τῆς κληρονομίας λήψονται μέρος, ὅσον ὁ αὐτῶν γονεὺς ἔμελλε λαμβάνειν, εἰ ἐπέζησεν. Ὅθεν ἀκόλουθόν ἐστιν, ἵνα εἰ τυχὸν ὁ προτελευτήσας ἀδελφὸς, οὗ υἱοὶ περίεισι, δι' ἑκατέρου γονέως τῷ νῦν τελευτήσαντι προσώπῳ συνήπτετο, οἱ δὲ περιόντες ἀδελφοὶ διὰ τοῦ πατρὸς μόνου τυχὸν ἢ τῆς μητρὸς αὐτῷ συνήπτοντο: προτιμάσθωσαν οἱ τοιοῦτοι παῖδες τῶν ἰδίων θείων, εἰ καὶ τρίτου εἰσὶ βαθμοῦ, εἴτε πρὸς πατρὸς εἴησαν οἱ θεῖοι, εἴτε πρὸς μητρὸς, καὶ εἴτε ἄῤῥενες, εἴτε θήλειαι, ὥσπερ ὁ αὐτῶν γονεὺς προυτιμᾶτο, εἰ περιῆν. Καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου, εἰ μὲν περιὼν ἀδελφὸς ἐξ ἑκατέρου γονέως συνάπτεται τῷ τελευτήσαντι, ὁ δὲ προτελευτήσας δι' ἑνὸς γονέως συνήπτετο: τοὺς τοιούτους παῖδας ἐκ τῆς κληρονομίας ἀποκλείομεν, ὥσπερ καὶ αὐτὸς, εἰ περιῆν, ἐξεκλείετο. Τὸ δὲ τοιοῦτο προνόμιον ἐν ταύτῃ τάξει τῆς συγγενείας, μόνοις παρέχομεν τοῖς τῶν ἀδελφῶν ἀῤῥένων ἢ θηλειῶν υἱοῖς ἢ θυγατράσιν, ἵνα εἰς τὰ τῶν ἰδίων γονέων δίκαια ὑπεισέλθωσιν. οὐδενὶ δὲ ἄλλῳ παντελῶς προσώπῳ ἐκ ταύτης τῆς τάξεως ἐρχομένῳ τοῦτο τὸ δίκαιον συγχωροῦμεν.

*Sed & ipsis fratrum filijs tunc hoc beneficiũ conferimus, quãdo cum proprijs uocãtur theiois masculis & fœminis, siue paterni, siue materni sint. Si autem cũ fratribus defuncti etiã ascendẽtes (sicut iam diximus) ad hæreditatem uocantur: nullo modo ad succesſionẽ ab intestato fratris aut sororis filios uocari permittimus, neq; si ex utroq; parente eorũ pater, aut mater defuncto iungebantur: quandoquidem fratris & sororis tale priuilegium dedimus, ut in propriorũ parentum succedentes locũ, soli in tertio constituti gradu, cum ijs, qui in secundo gradu sunt, ad hæreditatem uocentur. Illud palàm est, quia theiois defunctis masculis & fœminis, siue à patre, siue à matre, præponuntur, si etiam illi tertium cognationis gradum similiter obtineant. Si uerò neque fratres, neque filios fratrum (sicut diximus) defunctis reliquerit: omnes deinceps à latere cognatos ad hæreditatem uocamus secundũ uniuscuiusq; gradus prærogatiuam, ut uiciniores gradu, ipsi reliquis præponãtur. Si autem plurimi eiusdem gradus inueniantur, secundum personarum numerum inter eos hæreditas diuidatur: quod in capita nostrę leges appellant. Nullam uerò uolumus esse differentiam in quacunq; succesſione, aut hæreditate inter eos, qui ad hæredita-

* λείπει *

ὁπότε τοίνυν τοῖς τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῆς ἀδελφῆς παισὶ τοῦτο προνόμιον δεδώκαμεν, ἵνα τὸν τῶν γονέων ὑπεισιόντες τόπον μόνοι τρίτου ὄντες βαθμοῦ μετὰ τῶν ἐκ πρώτου καὶ δευτέρου βαθμοῦ πρὸς τὴν κληρονομίαν καλοῦνται: ἐκεῖνο πρόδηλόν ἐστιν, ὅτι τῶν θείων τοῦ τελευτήσαντος ἀρρένων τε καὶ θηλειῶν, εἴτε πρὸς πατρὸς, εἴτε πρὸς μητρὸς εἶεν, προτιμῶνται, εἰ καὶ ἐκεῖνοι τρίτον ὁμοίως συγγενείας βαθμὸν ἔχοιεν. Εἰ δὲ μήτε ἀδελφοὺς, μήτε παῖδας ἀδελφῶν (ὡς εἰρήκαμεν) ὁ τελευτήσας καταλείψει: πάντας τοὺς ἐφεξῆς ἐκ πλαγίου συγγενεῖς πρὸς τὴν κληρονομίαν καλοῦμεν, κατὰ τὴν ἑνὸς ἑκάστου βαθμοῦ προτίμησιν, ἵνα οἱ ἐγγύτεροι τῷ βαθμῷ αὐτοὶ τῶν λοιπῶν προτιμῶνται. Εἰ δὲ πολλοὶ τοῦ αὐτοῦ βαθμοῦ εὑρεθῶσι κατὰ τὸν τῶν προσώπων ἀριθμὸν μεταξὺ αὐτῶν ἡ κληρονομία διαιρεθήσεται, ὅπερ In capita οἱ ἡμέτεροι λέγουσι νόμοι. Οὐδεμίαν δὲ βουλόμεθα εἶναι διαφορὰν ἐν οἵᾳ δήποτε διαδοχῇ ἢ κληρονομίᾳ μεταξὺ τῶν πρὸς τὴν κληρονομίαν κα-

tem uocantur, masculos & foeminas, quos ad hæreditatē cōmuniter diffiniuimus uocari: siue per masculi, siue per foeminæ personam defuncto iungebantur: sed in omnibus successionibus, agnatorum cognatorumq; differentiā præcipimus uacare, siue p foemineā psonā, siue per emācipationē, siue per alium quemlibet modum prioribus legibus tractabatur, & omnis sine qualibet huiusmodi differentia secūdum proprium cognationis gradū ad cognatorū successionem ab intestato uenire præcipimus. Ex his autē quæ de hæreditate diximus & disposuimus: & quæ de tutela sunt, manifesta consistunt. Sancimus enim unumquenque secundum gradum & ordinem quo ad hæreditatem uocatur, aut solum, aut cum alijs etiam functionem tutelæ suscipere: nulla neq; in hac parte differentia introducēda de agnatorum seu cognatorū iure: sed omnibus similiter ad tutelā uocādis, quiq; ex masculorum, quiq; ex foeminarū prole descendūt minori cōiūcti. Hoc aūt dicimus, si masculi & pfectæ ætatis sint, & nulla lege prohibeātur tutelam suscipere, neq; excusatione cōpetēte sibimet utātur. Mulieribus eñ etiā nos interdicimus tutelæ subire officiū, nisi mater uel auia fuerit. His eñ solis secundū hæreditatis ordinē et tutelā subire pmittimus, si inter

λουμένων ἀῤῥένων ἢ θηλειῶν, οὓς πρὸς τὴν κληρονομίαν κοινῶς ὡρίσαμεν καλεῖσθαι εἴτε διὰ ἄῤῥενος, εἴτε διὰ θήλεος προσώπου συνάπτοντο τῷ τελευτήσαντι: ἀλλ' ἐπὶ πασῶν τῶν διαδοχῶν τὴν τῶν ἀγνάτων τε καὶ κογνάτων διαφορὰν ἀργεῖν κελεύομεν, εἴτε διὰ θῆλυ πρόσωπον, εἴτε διὰ ἐμαγκιπατίονα ἢ ἕτερον οἷον δήποτε τρόπον τοῖς προτέροις ἐπραγματεύετο νόμοις καὶ πάντας δίχα τινὸς διαφορᾶς τοιαύτης κατὰ τὸν τῆς ἰδίας συγγενείας βαθμὸν εἰς τὴν ἐξ ἀδιαθέτου τῶν συγγενῶν διαδοχὴν ἐλθεῖν κελεύομεν. Ἐξ ὧν δὲ περὶ τῆς κληρονομίας εἰρήκαμέν τε καὶ διετυπώσαμεν, καὶ τὰ περὶ τῆς ἐπιτροπῆς δῆλα καθέστηκε. θεσπίζομεν γὰρ ἕκαστον κατὰ τὸν βαθμὸν καὶ τὴν τάξιν, καθ' ἣν πρὸς τὴν κληρονομίαν καλεῖται. ἢ μόνος. ἢ μεθ' ἑτέρων, καὶ τὸ λειτούργημα τῆς ἐπιτροπῆς ὑπελθεῖν: οὐδεμιᾶς οὐδὲ ἐν τούτῳ τῷ μέρει διαφορᾶς εἰσαγομένης ἐκ τῶν ἀγνατικῶν τε καὶ κογνατικῶν δικαίων, ἀλλὰ πάντων ὁμοίως εἰς τὴν ἐπιτροπὴν καλουμένων τῶν τε δι' ἀῤῥενογονίας τῶν τε διὰ θηλυγονίας τῷ ἀνήβῳ συναπτομένων. Ταῦτα δὲ λέγομεν εἰ ἄῤῥενες καὶ τέλειοι τὴν ἡλικίαν εἶσιν, καὶ ὑπὸ μηδενὸς νόμου κωλύονται τὴν ἐπιτροπὴν ὑπελθεῖν μηδὲ ἐξκουσατίονι ἁρμοζούσῃ αὐτοῖς κέχρηνται. ταῖς γὰρ γυναιξὶ καὶ ἡμεῖς ἀπαγορεύομεν τὰ τῆς ἐπιτροπῆς ὑπελθεῖν λειτουργήματα, εἰ μὴ μήτηρ ἢ μάμμη εἴη. ταύταις γὰρ μόναις κατὰ τὴν τῆς κληρονομίας τάξιν καὶ ἐπιτροπὴν ὑπελθεῖν ἐφίεμεν, ἐὰν ἐν ὑπομνήμασι καὶ γάμοις ἑτέροις, καὶ τῇ

Βοη

gesta & nuptijs alijs & auxilio Velleiani s.c. renuntiant. Hęc enim seruantes omnibus à latere cognatis, quo ad tutelam præponuntur, testamentarijs solis tutoribus præcedentibus eas. defuncti nanque uoluntatem & electionem pręponi uolumus. Si autem plurimi eiusdem cognationis gradum habentes, ad tutelam uocantur: iubemus cōmuniter inuenientibus apud iudicem, cui huius partis solicitudo est, unum aut plures, quanti ad gubernationem substantiæ sufficiant, ex ipsis eligi, & denuntiari, et eum uel eos minoris res gubernare, tutelæ periculo omnibus imminente, qui ad tutelam uocantur, & substantijs eorum minori ætate tacite subiacentibus pro huiusmodi gubernatione. Hæc autem omnia quæ de successionibus sancimus, obtinere in illis uolumus, qui catholicæ fidei sunt: in hæreticis autem iam à nobis positas leges firmas præcipimus esse, nullam nouitatem aut immutationem ex præsenti introducentes lege. Quæ igitur per hanc constitutionem in perpetuum obseruandam sanciuit nostra tranquillitas, in illis uolumus obtinere casibus, qui à principis Iulij mensis præsentis sextæ indictionis seu uenerunt, seu posthac emergent. Præcedentes nanque casus, qui usque ad memoratum tempus

βοηθείᾳ τοῦ Βελλειανοῦ δόγματος ἀπαγορεύουσι. ταῦτα γὰρ φυλάττουσαι πάντων ἐκ πλαγίου συγγενῶν εἰς τὴν ἐπιτροπὴν προτιμηθήσονται, ὅτι ταῖς γυναιξὶν ἀπηγόρευται τὰ τῶν ἐπιτρόπων ὑπέρχεσθαι λειτουργήματα, εἰ μὴ μήτηρ ἢ μάμμη εἴη τῶν τεσταμενταρίων μόνων ἐπιτρόπων προλαμβανόντων αὐτάς. Τὴν γὰρ τοῦ τελευτήσαντος βούλησίν τε καὶ ἐπιλογὴν προτιμᾶσθαι βουλόμεθα. Εἰ δὲ πολλοὶ τὸν αὐτὸν τῆς συγγενείας ἔχοντες βαθμὸν καλοῦνται πρὸς τὴν ἐπιτροπήν: κελεύομεν αὐτοὺς κοινῇ συνελθόντας παρὰ τῷ ἄρχοντι ᾧ τούτου μέλει τοῦ μέρους ἕνα ἢ καὶ πλείονας, ὅσοι πρὸς τὴν διοίκησιν τῆς οὐσίας ἀρκοῦσιν, ἐξ αὐτῶν ἐπιλέξασθαι καὶ ὀνομάσαι: καὶ τοῦτον ἢ τούτους τὰ τοῦ ἀνήβου πράγματα διοικεῖν. τοῦ τῆς ἐπιτροπῆς κινδύνου πᾶσιν ἐπικειμένου τοῖς πρὸς τὴν ἐπιτροπὴν καλουμένοις, καὶ τῶν οὐσιῶν αὐτῶν σιωπηρῶς ὑποκειμένων τῷ ἀνήβῳ ὑπὲρ ταύτης τῆς διοικήσεως. Ταῦτα δὲ πάντα, ὅσα περὶ διαδοχῶν τοῦ γένους ἐθεσπίσαμεν ἐπ' ἐκείνοις βουλόμεθα κρατεῖν, ὅσοι τῆς καθολικῆς ὑπάρχουσι πίστεως. ἐπὶ γὰρ τοῖς αἱρετικοῖς τοὺς ἤδη παρ' ἡμῶν τεθέντας νόμους βεβαίους εἶναι κελεύομεν, μηδένα καινισμὸν ἢ ἐλάττωσιν ἐκ τοῦ παρόντος ὑφισταμένους νόμου. Ἅπερ τοίνυν διὰ ταύτης τῆς διατάξεως τῆς εἰς τὸ διηνεκὲς φυλαττομένης ἡ ἡμετέρα ἐθέσπισε γαληνότης ἐπ' ἐκείνοις βουλόμεθα κρατεῖν τοῖς θέμασιν, ἅτινα ἐκ προοιμίων τοῦ Ἰουλίου μηνὸς τῆς παρούσης. ς. ἐπινεμήσεως συνέβη, ἢ καὶ μετὰ ταῦτα συμβήσεται. Τὰ γὰρ προλαβόντα θέματα τοῦ μέχρι μνημονευθέντος χρόνου ἀποβάντα,

pertransierunt, secundum ueteres leges incidi præcipimus. Tua igitur gloria per præsentem legem à nobis dispositã, ad omnium cognitionem uenire procuret. in hac enim regia ciuitate edictis consuetè propositis: in prouincijs autem præceptis dirigendis, ad clarissimos præsides earum: ut nulli nostri imperij subiectorum sit ignota nostræ circa eos mansuetudinis prouidentia: ita tamen, ut sine omni dispendio ciuium, aut prouincialium, in omni loco præsentis legis fiat insinuatio.

τα, κατὰ τοὺς πάλαι νόμους τέμνεσθαι παρακελευόμεθα. ἡ ἐνδοξότης τοίνυν ἡ σὴ τὰ διὰ τοῦ παρόντος, παρ' ἡμῶν διατυπωθέντος, εἰς τὴν ἁπάντων γνῶσιν ἐλθεῖν προνοησάτω, ἐπὶ ταύτης μὲν τῆς βασιλίδος πόλεως ἐδίκτων κατὰ τὸ συνηθὲς προτιθεμένων, ἐν δὲ ταῖς ἐπαρχίαις προσταγμάτων πεμπομένων πρὸς τοὺς λαμπροτάτους τούτων ἡγουμένους, ὥστε μηδενὶ τῶν τῇ ἡμετέρᾳ βασιλείᾳ ὑποκειμένων ἄγνωστον γενέσθαι τὴν ἡμετέραν περὶ τούτους πρόνοιαν. οὕτω μέντοι γε, ὥστε δίχα πάσης ζημίας τῶν πολιτῶν καὶ ἐπαρχιωτῶν ἐν παντὶ τόπῳ τὴν τοῦ παρόντος νόμου ἐμφάνειαν γενέσθαι.

MATVRINI MONTANI IN EANDEM IVSTINIANI NOVELLAM COMMENTARII.

PLurimas & diuersas leges ueteribus temporibus prolatas inuenientes.



VOTIES iuris ciuilis iactationem, uariamq; uicissitudinem animo repeto, uidere mihi uideor quẽdam Euripum reciprocis irrequietisq; motibus huc & illuc fluctuantem. Habuit enim ius Quiritum suas æstuarias uices, plurimamq; mutationem. Quod uel ex sententia Iuliani consultissimi ac sapientissimi uiri conijcere licet: qui, ut refert Iustinianus, ait: Nullam legem, neque Senatusconsultum prolatum, uideri ad omnia fuisse sufficienter promulgatum, ut ad naturæ uarietatem & eius machinationem sufficiat. Idq; non iniuria. Nam ea est hominum ambitio & auaritia, ut frequenter redeuntes mali mores efficiant, ut sæpe edantur bonæ leges. Quare ea, quæ ex uario multarum rerum euentu desiderari uidebantur, adijcere, & quæ emendanda esse admonuerat grauissimus legum omnium censor & explorator usus, quiq; prioris magister esse dicitur, posterior dies, innouare coactus fuit Imper. Iustinianus: ac pro uarietate incidentium rerum, & nouis & melioribus æquitatis rationibus emergentibus, multas uetustissimi iuris ac mediæ iurisprudentiæ leges etiam abrogare: ut in hac Nouell. consti. ac in cæteris uidere licet. Cæterùm nequid penitus antiquitatis ignoretur, & quod uel sublatum est, uel innouatum, non sit incognitum: historiam emendati iuris successionis intestatæ ab incunabulis legis XII. Tabula. à materia, qua de hîc agitur, paucis repetere non erit alienum. Siquidem is qui principium nescit, rem ipsam non rectè percipit, cuius potissima pars principium est, Caio & Pompon. testibus

loc

locupletissimis in ll. 1. & 2. ff. De orig. iuris.

Historia emẽdati iuris.

LEX XII. Tabul. inter successores intestati, primos fecit liberos utriusque sexus, qui in potestate defuncti tempore mortis fuerant: Verba legis hæc fuisse accepimus.

INTESTATORVM HAEREDITATES, PRIMO SVORVM HAEREDVM, VELINT NOLINT VE, SVNTO.

HIS DEFICIENTIBVS AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO.

HVIVS legis meminit Iustin. in §. j. Instit. De hæred. quæ ab intest. defer. Intestatorum autem, inquit, hæreditates ex l. XII. Tabul. primùm ad suos hæredes pertinent. Soli nanque illi inter liberos admittebantur ad successionem defuncti, neque cuiquam liberorum dabatur successio in bonis maternis, quia matris nulla est in liberos potestas. §. Fœminæ. Instit. De adoptio. Caius in l. Nulla. ff. De suis & leg. hæred. Atque hic quidem fuit primus gradus hæreditariæ successionis uetustissimo iure. Superstitibus enim liberis qui in potestate morientis fuerant, nulli ascendentes, aut cognati transuersales, ad successionem intestati admittebantur. Vnde dicti sunt Sui, qui hoc gradu ad successionem uocantur, tanquam illi, qui uiuente patre quodammodo domini existimentur. Paul. in l. In suis. ff. De liber. & posth. Et ij quidem uellent nollent hæredes erant, adeò lex XII. Tabul. stricto iure utebatur, & consequens esse ducebat, ut qui dicerentur Sui, ijdem & necessarij essent, ne fluctuaret ac incerta uideretur successio. Voluerunt enim prisci in hoc constantiam quandam esse, & inflexibilem iuris ordinem.

EMANCIPATI uerò liberi iure ciuili nihil iuris habebant: neque enim sui hæredes erant, qui in potestate parentis esse desierant, neque ullo alio iure per legem XII. Tabul. uocabantur. Cæterùm Prætor Senatus æquitatem sequutus, dedit eis bonorum possessionem. Vnde liberi, perinde ac si in potestate tempore mortis fuissent, siue soli, siue cum suis hæredibus concurrerent. Instit. De hæred. quæ ab intestato defe. §. Cum autem quæritur. Iniquum enim illi uisum est, emancipatos liberos paterna hæreditate excludi, quòd sui iuris facti fuissent. Et hæc olim recepta fuerunt tàm in suis hæredibus, quàm emancipatis liberis primi gradus utriusque sexus.

IN Nepotibus autem Neptibus & similibus descendentibus, aliud antiquitati placuit. Quum enim uetustas ex maribus progenitos plus diligeret, solis nepotibus neptibusque, qui per uiril

uirilem sexum descendebant, iura suorum hæredum dabat, & agnatorum quoq; iure, eos anteponebat: Nepotes uerò & pronepotes ex filia & nepte natos, nullo modo admittebat cum nepotibus ex filio. Nam tunc demum ad successionem tam aui materni, quàm auiæ, proauiæ, siue paternæ, siue maternæ eos uocabat, cùm nulli extarent agnati. Et in hoc nimis à natura discedebat, quòd discrimen tam magnum inter masculos & fœminas, quatenus ad bona paterna attinet, constitueret. §. Cæterùm. Instit. De leg. agna. succes. l. Maximum uitium. c. De liber. præt. Et ideo posteriores Cæsares ueteris iuris iniquitate reiecta atq; explosa, eos cum filijs, & ex eis descendentibus ad aui auiæ'ue successionem summa iuris æquitate uocauerunt: cum trientis tamen diminutione, quem præcipui cuiusdam iuris loco adiecerant nepotibus ex filio. Iustin. tamen præcipuum hunc trientem postea sustulit, & nepotes omnes æquo iure succedere uoluit. §. Item uetustas. iuncto §. Sed nos. Instit. De hære. quæ ab intesta. defe. Quæ uel locum quoque obtinent, cùm nepotes unà cum filijs, aut superstitibus filiabus, ad aui auiæ'ue successionem admittuntur. Reliqui uerò omnes ad defuncti hæreditatem uenientes dicuntur Extranei hæredes, tanquam illi qui cùm essent extra potestatem defuncti, ad eius successionem accerserentur. §. Cæteri. Inst. De hære. qual. & diffe. Cæteri, inquit Iustinianus, qui testatoris iuri subiecti non sunt, Extranei hæredes appellantur. Itaque liberi quoq; nostri, qui in potestate nostra non sunt, hæredes à nobis instituti, Extranei hæredes nobis uidentur. Inter Extraneos autem hæredes proximum successionis gradum obtinebant superioris ordinis cognati, quibus turbato mortalitatis ordine non minus piè relinquitur, quàm liberis. Papin. in l. Nam etsi parentibus. ff. De inoffic. testam. iure tamen uetustissimo, filio in potestate patris constituto, nullus hæres esse poterat, quoniam nulla bona habebat. Vlpian. in l. Placet. ff. De acquir. hæred. Placet, inquit, quoties acquiritur per aliquem hæreditas, uel quid aliud ei, cuius quis in potestate est, confestim acquiri ei, cuius est in potestate, nec momento aliquo subsistere in persona eius per quem quæritur. Filio tamē emancipato sine liberis mortuo pater olim tanquam agnatus succedebat, si contracta fiducia eum emancipasset: si uerò non contracta fiducia per bonorum possessionem Vnde x. personæ. §. fi. Instit. De leg. agna. successio. Mater tamen excludebatur. Modesti. in l. Si ad patrem. ff. de suis & legit. hære. Pater ideo matri præferebatur, quia ius antiquum non obstante S. C. Tertyll. illi

reſeruatum fuerat.l.ij.C.Ad S.C. Tertyll. Et cum agnatis nulla omnino fœmina ad hæreditatem admittebatur, nec ullis fœminis patebat locus ſuccedendi ab inteſtato, niſi cum ſuis hæredibus: iſto nanque ſolo gradu fœminæ pariter cum maſculis ad hæreditatem paternam admittebantur. Ex hoc itaque loco, ut rectè teneas uetuſtiſsimi ac ſummi iuris differentias, illud obſerua: Quòd lex XII. Tabul. ſtrictò quidem iure utebatur, proponebatq; maſculorum progeniem, & eos qui per fœminini ſexus neceſsitudinem ſibi iungebantur prorſus, ut ſuprà dixi, non agnoſcebat; adeò ut nec quidẽ inter matrem & filium filiam'ue hæreditatis capiendæ ius daret: donec ius Honorarium eam admiſit poſt agnatos. Poſtea conſtitutio imperatoris Claudij inteſtati lineq; liberis defuncti filij ſimpliciter detulit matri, ſi modo ea quatuor peperiſſet filios. Sed S. C. Tertyll. addidit quandam diſtinctionem, ut ingenuę mulieri ſatis eſſet ius trium liberorum. Poſteriores conſtitutiones aliorum principum aliquam hæreditatis portionem matri ademerunt: nempe trientem, qui dandus erat patruo defuncti, uel patrui filio: ſed alio nomine matri ſuccurrerunt, quam iure trium liberorum deſtitutam ita adiuuerunt, ut ſaltem conſequeretur trientem. Iuſtiniano uerò, qui admodum fauit mulieribus, id non fuit ſatis: ſed primò ſuſtulit conditionem ius trium, aut quatuor liberorum. l.ij.C.De iur.libe.ſubla. Deinde alia conſtitutione, eam omnino prætulit patruo patrui'ue filio, ſine ulla trientis diminutione. Deinde addidit, ut etiam cum fratribus defuncti, uel uterinis, uel conſanguineis ſuccederet: & tum diuideretur in capita hæreditas. Sed ſi ſolæ ſorores eſſent, cum quibus mater ſuccederet: tum mater ſola unum ſemiſſem haberet, alterum ſorores.l.fi.C. De S.C. Tertyllia. Rurſus S.C. Orphicia. quod Orphicio & Ruffo conſulibus effectum eſt, imperantibus M.Aelio patre, & Antonino filio, circa CHRISTI annum 180. Senatus edixit ſibi placere, ut teſtatæ matri uel auiæ ſuccederent liberi utriuſque ſexus, ſiue legitimi eſſent, ſiue uulgò concepti, excluſis quibuſcunq; agnatis: quæ ſucceſsio minima capitis diminutione non perimebatur: nam capitis diminutio autore Vlp. ſaluo ſtatu contingens, nil nocet ad legitimam hæreditatem.

NAM Vetus ſola hæreditas, quæ ex lege XII. Tabul. defertur, capitis diminutione perimebatur: nouæ uerò, uel ex lege, uel ex S.C. delatæ, non perimebantur capitis diminutione. toto tit.De S.C. Tertyll. Inſtit. Proinde ſiue quis ante delatam, ſiue poſt delatam, capite minuebatur, ad legitimam hæreditatem

tem admittebatur; nisi magna capitis diminutio interuenisset. Vlp. in l.j.ff. Ad S.C. Tertyll. Cæterùm si hæreditas ipsa omnino delata, adita, acquisita'ue esset: ne ueteri quidem iure XII. Tabul. perimebatur propter sequentem capitis diminutionem.

IN Successione autem nepotis, olim auus patrem, pater matrem, mater auum excludebat. l.j. §. Nepos. ff. Si à paren. quis manu. fue. l. Si ad patrem. ff. De suis & leg. hære. l. ij. §. Sed neque auus. ff. Ad Tertyll. Quibus omnibus superstitibus cæteris potior auus erat. l. Aequissimum. ff. Ad Tertyll. Quod mirum uideri potest, ut mater eum uincat, qui matris potiorem superare solet. l. de accessio. ff. de diuer. temp. præscrip. Rursus ut auus solam matrem excludere non possit, cùm patrem simul & matrem superare ualeat: cur enim si utrunque simul, alterum per se uincere nequit? arg. Nouell. Itaque. C. Commu. de success. His Achilleis argumentis iuris interpretes uariè respondent. & imprimis Bart. in l.j. §. Qui habebat. ff. De bon. posses. contra tabul. Auum idcirco præferri, quòd ex patris, qui matre potior est, persona succedat. Sed ex eo carpitur Bart. quòd in ascendentibus, quia illis non ita ut descendentibus debetur successio, alter alterius sedem minime ingreditur. Papin. in l. Nam etsi parentibus. ff. De inoffi. test. Nouell. Defuncto. iuncta Glos. in uerbo gradus. C. Ad Tertyll. Præterea quādo nepos ab auo emancipatur, ille tantum qui manumisit succedere posset, non pater, qui ob emācipationem perinde ac emancipatus iure ciuili incognitus est. Vlp. in l.j. §. Nepos. ff. Si à paren. quis manu. fuerit. Theoph. Inst. de leg. par. tute. Bal. tamen aliter respondet, quem uide in l. fi. C. Ad Tertyll. Et Alcia. lib. Paradoxorum 6. cap. j. Vtriusque tamen sententiam Loriotus haud dubijs arg. refellit: cui hæc potior uisa est sententia. Matrem omnino ideo potiorem auo fuisse, quòd illa iure ciuili, auus uerò iure prætorio, quod non adeò forte est, succedebat. Inst. Ad Tertyl. in prin. §. Quos autem. Inst. De bon. posses. Auus uerò patri præferebatur, quia pater respectu aui tacito tantum iure, quod leuius est, succedebat, arg. l. Expressa. ff. De reg. iur. Glo. in uerbo facultates. l. qui se patris. C. Vnde lib. Respectu uerò matris, duplici iure, unde mater præferebatur propter duo uincula. l. ij. §. Sed neque. uersi. uideamus. ff. Ad Tertyl. iuncto §. Cuius. Inst. de here. quæ ab intest. defer. Et hæc ad ueterum legum declarationem scribere uoluimus: quæ recepta olim quidem fuerunt, in cognatis inferioris ac superioris ordinis.

INTER extraneos autem hæredes transuersales primum

successionis gradum obtinebant iure XII. Tabul. agnati, hoc est, illi qui per uirilis sexus cognationem coniuncti erant. Instit. De leg. agna. succes. in princ. Si nemo, inquit Iustinianus, suus hæres, uel eorum quos inter suos hæredes Prætor, uel constitutiones uocant, existat, qui successionem quoquomodo amplectatur, ex l. XII. Tabul. ad agnatum proximum pertinet hæreditas. Obserua quæso hîc quòd hæc lex simplicitatem iustitię amicam amplexa non distinguit inter agnatos masculos & fœminas, sed omnes ex æquo ad successionem uocat: Certè in hoc laudanda, quoniam proximè ad naturam directa fuit: quippe cùm successio sicut & alimentorum ratio inter uiuos, ex æquitate charitateq́ sanguinis descendat. Vlp. in l. Si quis à liberis. §. Vtrum autem. ff. De liber. agnosc. Hæc tamen legis simplicitas succedentibus autoribus, qui in iure se peritiores putabant, adeò displicuit, ut subtili quadam excogitata ratione cœperint agnatos distinguere: ut inter masculos quidem agnationis iure hæreditas, etiamsi longissimo gradu essent, ultro citroq́ caperetur. Ex agnatis uerò mulieribus nulli penitus, nisi sorori, ad agnatorum successionem per mediam iurisprudentiam dabatur aditus: quamuis prætoris beneficio post omnes demum agnatos cognatosq́ per Vnde cognati ad bonorum possessionem admitterentur. Iustin. tamen legis XII. Tabul. simplicitatem est secutus: & à iure cognationis etiam unum transtulit gradum in legitimam successionem, uoluitq́ ut non solùm filius & filia ad successionem patrui sui uocentur, sed etiam uterinæ uel consanguineæ sororis filius filia'ue ad auunculi successionem unà cum filijs fratrum defuncti, non etiam cum ipsis defuncti fratribus admittantur in capita scilicet, non in stirpes. §. Hoc autem addendum. Instit. De leg. agn. successio. Hæc XII. Tabul. lex non omnibus simul agnatis dabat hæreditatem, sed ijs duntaxat qui tunc proximiore gradu erant, cùm certum esse cœperat aliquem intestatum decessisse. Vlp. in l. Post consanguineos. §. Hæreditas. ff. De suis & leg. hære. Quare patruus in successione fratris sine liberis mortui patruelibus præferebatur. §. Si plures sint. Instit. De leg. agna. succes. Nec cessat lex XII. Tabul. edictum successorium de gradu in gradum: unius enim capitis persona defecta, sequentes in gradu personę admittuntur. §. Placebat autem. Instit. De leg. agn. succes. Adeo ut omnes agnati, siuē masculi, siue fœminæ pari ratione ad iura successionis ab intestato uocentur, etsi decimo sint gradu, exclusis omnibus cognatis, hoc est, per fœminini sexus personas descendētibus, quos natura

natura quidem nouerat, sed angustiæ iuris, quod ex l. X I I. Tabul. descendebat, nesciuerant. Et ideo prætor æquitate motus, post omnes iam dictos Cognatos proximitatis nomine per Vnde cognati, tertio ordine uocauit.

LIQVET autem ex his quę hactenus de iure succedendi ab intestato diximus, nulli fuisse locum, nisi defunctum intestatum iure liberorum, aut parentum, aut agnatorum, uel cognationis iure contingerent. Proinde cùm coniuges nullo istorum iurium uinculo sibi inuicem coniuncti essent, sequebatur ut uxor mariti, & maritus uxoris, hæreditate excluderetur. Nam fiscus hoc iure utebatur, ut non superstitibus ijs, quibus leges deferebant hæreditatem, sibi eam, tanquam legitimo hærede carentem, uendicaret. Vt ff. & c. De iure fisci. Prætor igitur duxit, & in hoc casu interponendam suam esse æquitatem, & per Edictum Vnde uir & uxor, ad mutuam successionem coniuges admisit. l. j. ff. & c. Vnde uir & uxor. Atque id fecisse cùm uerisimile est ratione necessitudinis matrimonialis, non (ut quidam falsò putauerunt) affinitatis: cùm affinitatis nulla sit successio. l. Affinitatis. C. Commu. de success. Iam igitur obseruent iuris candidati, iure uetustissimo ac medio, quod inter uetus & nouissimũ fuit, quatuor fuisse constitutos gradus succedendi ab intestato. Primus suorum hæredum, Secundus parentum & agnatorum, Tertius cognatorum, Quartus uiri & uxoris. Vlp. in l. j. ff. Vnde liberi. Sed successionem, inquit, Prætor in plures partes quidem diuisit, fecit enim gradus uarios: Primùm liberorum, Secundum legitimorum, Tertium cognatorũ, Deinde uiri & uxoris. Eundem & per eosdem fere gradus successionum ordinem præscriptum esse à Domino refert Moyses Num. cap. 27. Et obseruent etiam delatam fuisse talibus hæredibus successionem, quocunque gradu ad hæreditatem uenietibus, ratione naturali magis quàm ciuili. Suadet enim ęquitas naturalis, ut talium necessitudinum, in succedẽdo pręcipua habeatur ratio. Verùm uisum est legumlatoribus & ciuilis necessitudo, quæ est inter adoptantẽ & adoptatum, inter arrogatorem & arrogatum, inter patronum & libertum, ac inter manumissorem & manumissum, satis habere causæ, ut inter huiusmodi personas propter eam detur hæreditaria successio. Sed de hac ciuili necessitudine in succedendo, infrà suo loco pluribus disseremus. Nunc his iactis fundamentis ad Nouellæ nostræ interpretationem accedamus, quæ sola iuri ciuili aliquid de successionis intestatæ materia præscribenti autoritatem addit, sola detrahit, sola nouam formam ac normam

attribuit. Siquidem pro uarietate incidẽtium rerum, & nouis & melioribus æquitatis rationibus emergentibus, multæ uetustissimi iuris ac mediæ iurisprudentiæ leges abrogantur, multæ autoritatem recipiunt, quæ in prioribus compositionibus, uel temere omissæ, uel de industria reiectæ erant, multæ etiam in hac in nouum coacta sunt ordinem, multa ad clariorem intellectum reuocata: multa quæ pugnantiæ in alijs speciem præ se ferre uidebantur, ad concordiam redacta. Ne interim dicamus, quàm multa, imo innumera, & nouiter & subtiliter passim decidantur. Sed quid multis? cùm ista, uel nobis nolentibus, in lectione Nouellæ nostræ sese offerant.

HAEREDITAS, à qua hæredes deducuntur, est successio in uniuersum ius, quod defunctus tempore mortis post se reliquit. Iulianus in l. Hæreditas nihil aliud est. ff. De reg. iur. Hæc definitio apertior est, quàm ut pluribus debeat inculcari: in ea saltem hoc obseruandum est, quòd docet hæreditatis appellatione nõ res ipsas uenire, quas defunctus post se reliquit: quemadmodum à Cicerone in Topicis accipitur, quando ait: Hæreditatem esse pecuniam, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure, sed successionem in uniuersum ius defuncti: quod idem Caius testatur in l. Nihil aliud est. ff. De rerum & uerbo. signific. & Papin. in l. Hæreditas. ff. De petitio. hæred. Hæreditas, inquit, etiam sine ullo corpore iuris intellectum habet: & defuncti personam sustinet, non hæredis. Vnde in multis iuris partibus, pro domino habetur, quod intelligimus hæreditate necdum adita: Nam si adita fuerit, desinit esse hæreditas: nisi ἀναφορικῶς etiam adita sic dicatur, quia hæreditas fuerit, sicuti in l. Falcidia accipitur, quæ quartam partem hæreditatis detrahit. & in S. C. Tertyll. hæreditatem ex ui nominis dici Iurisconsultus ait, in l. j. §. Si quis adita. ff. Ad Tertyll. quæ adita semel fuit, licet deinde in integrum hæres restitutus fuerit. Idem & in pluribus legibus probatur, quibus hæreditatem uendi, cedi, restitui dicitur, & de adita intelliguntur: absurdumq́; esset toties improprie locutos Iurisconsultos credere. Et hoc ius defuncti in quo successio est, ab eo tempore consideramus, quo Deo naturæq́; concessit. Hoc siquidem tantùm transferre potuit, utpote quod habuit: fieri enim non potest, ut plures res, item plus iuris olim habuerit, sed quod ipse prius perdiderat, quàm sit defunctus, quare non transtulit quod apud ipsum esse desinit. Rectè itaque à tempore mortis supputationem facimus: quapropter uulgati Codices uerbum, tempore mortis, subiungunt in hunc modum:

dum: Hæreditas nihil aliud est, quàm successio in uniuersum ius, quod defunctus habuerat tempore mortis, sed fortè ex interpretamento, ut ait Ferrarius Montanus, irrepsit, de quo tamen non contendo. Ex hac quoq; definitione creditur hæreditatem iuris ciuilis esse, cùm hoc à lege indictum sit, ut in id ius ipsi defuncto succedere censeantur. Sunt autem qui potius iuris gentium successiones existiment, cum in Biblijs, & apud Diogenem Laërtium appareat usum testamentorum apud alias gentes quàm Romanos fuisse, & ex eis hæreditates deferri solitas. Sed eò deuentum est, ut cum Andrea Alciato existimemus, origine quidem tam testamenta, quàm hæreditates iurisgentium fuisse, naturaliq; ratione & æquitate inductas. Verum cum deinde Romanorum legibus alia testamentorum forma constituta sit, aliusq; deferendarum hæreditatum modus, iuris ciuilis esse cœperunt, quæ sententia receptissima est. Quapropter qui iura ciuilia amittunt, ut deportati, nullam testamenti factionem habent. l. j. C. De hæred. instit. Hincq; consequens est, ut legibus municipalibus & dari, & adimi hæreditates possint, & quoquomodo legislatoribus placuerit, immutari: quoniam ea quæ iuris ciuilis sunt, contrario municipum iure eorum arbitratu subuerti possunt. Testis locupletissimus Alexander in consil. ij. in secundo uolu. in fine. Hæc apud iurisconsultos quandoq; legitima, interdum etiam iusta appellatur. Legitima hæreditas propriè dicitur illa, quæ ab intestato defertur. Vlp. in l. j. ff. De suis & leg. hæred. Sed & quæ ex testamento defertur, legitima quoque non impropriè, latiore tamen sensu, dicitur: ea enim à lege XII. Tabul. confirmatur, dum in illa constitutum est, uti quisq; rei suæ legasit, ita ius esset. Iusta uerò hæreditas est illa, quæ iure sanguinis gentilitatisq; defertur. Paul. in l. Ea uerò. ff. Pro socio. Ea enim omni æquitate subgerente, & omni iure tam naturali, quàm ciuili debita est, & ideo iusta dicitur: quoniam id nomen emphasim quandam habet, ut uult Alcia. Legalis nostræ Reipub. facilè princeps, quale apud Græcos ἀκριβὲς, uel ἰκάμενον. Igitur si de iusta hæreditate qualiscunq; dispositio mentionem faciat, de ea intelligemus, quæ ab intestato defertur. Si uerò de legitima dictum sit, utranq; contineri ex ui uerborum certi iuris est. Et ideo, qui sibi & hæredibus suis legitimis stipulatur, etiam de his sensisse uidetur, qui tametsi extranei, testamento hæredes instituti fuerint: licet Alexand. in consil. LVI. in ij. uolu. aliter uisum sit, cuius sententia, ut sentit Alcia. uera non est, nisi ex subiecto argumento hoc persuadeatur. ut si quis Titium

tium in regno, & eius legitimam succeßionem instituat. Abbas in consil. iij. iij. dub. in ij. uolum. accipietur enim de filijs primo genitis hæredibus, quoniam natura succeßionis huiusmodi hoc indicat. Idem si aliquo modo afficitur hæredis sui agnatis, quos prima spes succeßionis attingit: his enim uerbis de huiusmodi propinquis intellexisse uidetur. Hermoge. in l. Ex facto. in fi. ff. Ad Trebell. Quapropter filio instituto, si sine liberis decesserit, cùm Titius pater bona sua se fratri & illius hæredibus legitimis masculis relinquere dixisset, & post conditionis euentum, is testatoris frater hærede extraneo instituto, si sine liberis decesisset: Alcia. respondit ad fideicommissum agnatos, qui eiusdem cum Titio familiæ erant, uideri uocatos: Verborum enim proprietas, & suæ gentis affectio hanc in sententiam iure illum traxerunt. Nec obstat quod à substituto, extranei, non autem legitimi, hoc est, agnati essent instituti: quia licet in contractibus stipulans sibi & suis hæredibus legitimis, non censeatur agnatis stipulatus, nisi sint hæredes: quia non est uerisimile uelle aliquem alteri, quàm hæredi stipulari: in præsenti tamen fideicommisso aliud est dicendum, ex Titij uoluntate, quem non est uerisimile in bonis suis uoluisse fideicommissum facere elusorium, & cuius uires ex grauati uoluntate penderent, ut si alios quàm legitimos institueret, onus fideicommißi extingueretur. Illud nō diffiteor, quoties testator ipse & tabellio ignari & idiotæ probarentur, ex uulgari usu illa uerba de filijs accipi, non de agnatis. Hæreditas ergo quæ legitima appellatur, intelligenda est illa, quæ propriè legibus ab intestato defertur. Paul. in l. Iurisconsultus. ff. De grad. aff. & nomi. eorum. Iurisconsultus, inquit, cognatorum gradus & affinium nosse debet: quia legibus hæreditates, & tutelæ ad proximum quenque agnatum redire consueuerunt. Defert autem lex hæreditates non omnibus, sed proximo duntaxat. Vlp. in l. Post consanguineos. §. Hæreditas. ff. De suis & legit. hæred. Hæreditas, inquit, proximo agnato, id est ei, quem nemo antecedit, defertur. Item non semper, sed quando ex testamento adiri non potest hæreditas. Vlpian. in l. Quandiu. ij. ff. De acquir. uel omitt. hære. uidelicet ab intestato, cuius succeßionis species mox referemus, simulatq; quid ab intestato succedere sit, & quot modis quis intestatus decedere dicatur, ostenderimus.

SVCCEDERE igitur ab intestato, est legitimo iure, id est legis potestate succedere. Vlp. in l. Lege obuenire. ff. De rer. & uerb. signific. Paulus in l. Conficiuntur. ff. De iure codicill. Sed

& qui ab inteſtato ueniunt, iudicio defuncti tacito ſemper, nonnunquam etiam expreſſo ſuccedere dicuntur. Paul. in citata l. Conficiuntur. iuncta l. Si quis ita hæres inſtituatur. ff. De hære. inſtit. Si quis ita hæres, inquit Scæuola, inſtituatur, ſi legitimus hæres uendicare nolit hæreditatem meam: puto deficere conditionem illo uendicante. Vnde hæredis appellatione à teſtatore facta, comprehenduntur, poſſuntq; perinde atque hæredes ſcripti grauari, priuariq; defuncti ſucceſsione, ſi intra annum uoluntatem illius exequi neglexerint. Bart. in l. Ex duobus. §. Filium. ff. De uulg. & pupil. l. j. §. fi. ff. De leg. iij. Nouell. Hoc amplius. C. De fideicom. Nam etiam ea legata in quibus ſcripti hęredes grauati erant, rupto teſtamento præſtare compelluntur. l. Eam quam. C. De fideicom. Hactenus quid ſit ſuccedere ab inteſtato docuimus: uerùm hoc parum proderit, ſi ignoremus, quid ſit ab inteſtato decedere.

TESTARI uerbum inter alia ſignificat ſuam ſententiam expromere: unde Teſtimonium, & Teſtamentum deducuntur, atque etiam Inteſtatus, cuius uocis triplex eſt ſignificatio. Primò decedit inteſtatus, qui teſtamentum nullum fecit. Vlp. in l. j. in princ. ff. De ſuis & legit. hæred. Sed & qui aliquem articulum in ſuo teſtamento præteriuit, illo reſpecto inteſtatus decedere dicitur. Paul. in l. Inteſtato. ff. De legit. tutor. Inteſtatus autem, inquit, uidetur decedere, non tantum is qui teſtamentum non fecit: ſed & is qui teſtamento tutores liberis ſuis non dedit. Quantum enim ad tutelam pertinet, inteſtatus eſt. Et hæc certiſsima ſunt in eo, qui cum iure teſtari poterat, teſtamentum tamen non fecit: Paul. in d. l. j. ff. De ſuis & leg. hæred. Sed dubium eſt, an is qui teſtamenti faciendi ius non habebat, puta, furioſus, pupillus, prodigus, inteſtatus decedere dicatur. Bald. & Angel. in tit. De hæred. quæ ab inteſtato deferuntur. in principio. Inſtit. & Alexand. in l. Generaliter. C. De inſtit. & ſubſti. putant illos proprie inteſtabiles eſſe. Quod prorſus cum Lorioto falſum eſſe arbitror: quoniam inteſtabilis is eſt, qui nec in contractu quidem, uel alteri teſtis eſſe, uel ſibi teſtem adhibere poteſt. Caius in l. Cum lege. ff. De teſta. & per conſequens nec ſibi acquirere, nec in iudicio agere, nec alios actus, qui probationem requirunt, exercere poteſt. Gloſ. fi. l. Is qui. §. fi. ff. De teſta. Vnde cùm leges de inteſtabili loquuntur, de damnato ob carmen famoſum, uel ob aliud ſimile delictum, cuius obſtaculo acquirere nõ poſſumus, exemplum proponunt. teſtes locupletiſsimi ſunt Arca. qui & Chariſius dictus eſt libr. ſingulari de teſtibus in l.

ob carmen famosum.ff.De testib. & Vlp.in l.Lex Cornelia. §. Si quis librum ad infamiam. ff.De iniur. & famos. libell. Nihil igitur commune habet uerbum, Intestabilis, cum intestato, licet Alciatus diuersum crediderit. Verùm eò unde digressi sumus, reuertamur. Vlp.in l.j.ff.De suis & legit.hæred.ait, eos propriè non esse intestatos, qui si uoluissent, testari non poterant: cùm nullus testandi præcesserit habitus. Arg. l.Decem. cum similibus.ff.De uerb.oblig. Vnde plerique existimauerunt, ut refert Alexand.in l.Generaliter. C.De instit. & substit. l.Municipali cauente, ut filio intestato agnati succedant non mater, si filius impubes decedat: quo casu non proprie intestatus est, cum testamentum facere non poterat, matrem, non agnatos succedere debere Bart. respondit. quoniam in statutis uerba in propria ac genuina significatione accipienda sunt, asserente Vlp. in l. Ait prætor. §. Hæc uerba.ff.De neg.gest. Sed ego cum Lorioto contrariam Bart. & multorum aliorum sequor sententiam. Cum ex communi usu loquendi (qui potius quàm propria uerbi significatio, maxime apud idiotas & imperitos attenditur) etiam impubes, quamuis testari nequeat, intestatus decessisse dicatur. Gl. l.Quòd si nepos.ff.De testa.tute. Iabolenus in l.Qui duos. iuncta l.Lucius.ff.De uulg.& pupil. substit. Huc accedat statuti ratio, quæ nulla alia esse potuit, quàm ut uel agnatis conseruaretur hæreditas; uel ut his qui intestati sine hæredibus decedunt, hæredem faceret. Arg. §.Cæterùm.uersic. Quod ideo.Instit.De legit.agna.succes. quæ ratio perinde in his qui iure testari non possunt, militat atque in alijs ex sententia Philippi Decij in d.l.Generaliter. Quocirca ex rationis similitudine legem ipsam municipalem extendendam arbitror.

SECVNDÒ Intestatus dicitur, qui testamentum ex se quidem ualidum fecit, sed ex eo corruit, quia hæredes instituti noluerint adire; & hic sensus quoque non improprius est. Verùm in hac significatione Bart. in l.j.ff.De suis & leg. hæred. arbitratus est, uerbum Intestati, impropriè dici, & eam ob rem nec in lege municipali de intestato mentionem faciente, comprehendi: quoniam mortis tempore (quod considerari debet) certum est testatorem testatum decessisse. Hæc Bart. sententia legi repugnat dicenti, Intestatum eum propriè esse, cuius hæreditas adita non est: magisq; enim effectum, & consummationē (quæ non nisi post aditam hæreditatem esse potest) respicere debemus, quàm simplicia uerba. Vlpian. in d.l.j.ff.De suis. & in l.j.§.hæc autem uerba.ff.Quod quisq; iur. in alter. & maximè in testamento, in

quo tria tempora, nedum mortis obſeruatur tempus. Florentinus in l. Si alienum. §. In extraneis. ff. De hæred. inſtit. Et in hac ſententia ſunt Alciatus & Loriotus atque etiam Theophilus ille iuris autor, qui haud dubijs uerbis teſtatur, cùm teſtamentum rumpitur, ut quis inteſtatus deceſsiſſe dicatur, id tempus, non aliud, attendi, quo teſtamentum deſtituitur. Theoph. in §. Verùm enimuero. Inſtit. De leg. agna. ſucceſs.

TERTIO modo Inteſtatus decedit, qui teſtamentum quidem iure firmum fecit, ſed poſteà per capitis corruit diminutionem: aut præteriti poſthumi natiuitatem, uel ſecundi teſtamenti factionem, uel inofficioſi querelam: & alijs ſimilibus modis, quibus teſtamenta iniuſta, uel irrita pronuntiantur. §. Alio. Inſtit. quibus modis teſta. infirm. Vlp. in l. iij. ff. de iniuſto rupto & irrito facto teſta. §. Poſteriore. Inſtit. eod. tit. l. Vt liberis. in princ. C. De colla. Idem enim eſt teſtamentum omnino non facere, uel huiuſmodi facere, quod nullum pronuntietur. Iuſti. in tit. De hære. quæ ab inteſt. defe. in princip.

Quia igitur omnis generis ab inteſtato ſucceſsio tribus cognoſcitur.

QVemadmodum teſtandi cauſa, ex uoluntate relinquentis bona ſua dependet: ita ſucceſsio ab inteſtato gradus habet, ne tota cognatio irruat in bona defuncti inteſtati. Gradus autem dicti ſunt, ut id obiter dicamus, ad ſimilitudinem ſcalarum, locorum'ue procliuium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id eſt, in eum qui quaſi ex eo naſcitur, trãſeamus. Eorum, ut compendiariam rationem habeas, aduertendum eſt, graduum cognationis alios ſuperioris ordinis eſſe, ut parentum, alios inferioris, ut liberorum, alios ex tranſuerſo, ſiue à latere, ut fratrum, ſororum, & ex his deſcendentium. Sciendum tamen eſt, eos, qui in eodem gradu ſunt, in ſucceſsione tunc concurrere, quando ſunt eiuſdem ordinis, aliàs qui eſt in proximiore ordine, quamuis in quarto gradu eſſet, præfertur illi qui in ſecundo ordine eſt, tametſi ille in primo gradu eſſet. §. Repetitis. iuncto §. A motis. Inſtit. De ſeruili cogna. Theophilus in §. Ex his. Inſtit. De gradibus. Deſcendentes, hoc eſt liberi, alios omnes excludunt ſucceſsione, ut hîc. Quia illis, naturæ ſimul, & communi parentum uoto debetur ſucceſsio, etiam ſi eorum parentes emancipati ſint. Papin. in l. Scripto. ff. Si tabul. teſt. nullæ

exta. Non sic, inquit, parentibus liberorum, ut liberis parentum debetur hæreditas: quoniam parentes ad bona liberorum ratio miserationis admittit, liberos naturæ simul & commune parentum uotum. Idem lib. iij. Quæstionum. in l. Nam etsi parentibus. ff. De inoffic. test. Paul. lib. singulari de portionibus, quæ liberis agnatorum conceduntur in l. Cùm ratio. ff. De bonis damnato. Cùm ratio naturalis, inquit, quasi lex quædam tacita liberis parentum hæreditatem adijciat, ueluti ad debitam successionem eos uocando, propter quod & in iure ciuili suorum hæredum nomen eis indictum est: ac ne iudicio quidem parentis, nisi meritis de causis submoueri ab ea hæreditate possint. Huc etiam pertinet oratio M. Antonij ad senatum, cuius meminit Vulcatius Galliganus in Audio Casio: nec non epistola Aureliani Imperatoris de Hæraclamone ad Mallium Chilonem, quam recitat Flauius Vopiscus in eodẽ. Horum omnium sententiam haud dubijs uerbis secutus est Paulus Apostolus lumen gentium in posteriore epistola ad Corinth. cap. xij. Non debent, inquit, filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. Qui tamen sub cynosura nauigant, esse quasdam insulas referunt, ubi causa successionis prima sit fratrum, non filiorum, quòd fratres sint certi, filii incerti: id'que uerum esse maximus poëtarum Homerus affirmat, qui in Odyssea natura incertos esse patres ostendit his uersibus:

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φασι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἐγώ γε
οὐκ οἶδ', ὁ γὰρ πωτὶς ἑὸμ γόνομ αὐτὸς ἀνέγνω.

Quos Andr. Alciatus ita uertit:

Illius esse quidem mater me prædicat, ipse
Nescio, nanque suum certus scit nemo parentem.

Leges tamen nostræ aliud præsumunt. Vlp. in l. Filium eum definimus. ff. De ijs qui sunt sui uel alieni iuris.

QVICVNQVE igitur ex hoc ordine erunt, si sui sunt, aut suorum loco habeantur, cæteris omnibus, licet gradu potioribus, præferuntur. l. iiij. C. Ad Orficia. Paul. in l. Iurisconsultus. §. Cognati. ff. de grad. affi. & nomi. eorum.

CAETERVM descendentes, ita defuncto succedunt, ut gradus in eo ordine non quæratur: Veluti, si unum filium habuero, & ex altero filio nepotes, ille non insolidum, licet sit in primo gradu, sed in dimidia tantum parte, isti in altera dimidia mihi succedent, & semper in stirpes, non in capita: ut suo loco infrà pluribus ostendemus. §. Cùm filius. Instit. hoc tit. Cùm filius, inquit Iustin. filia'ue, & ex altero filio nepos neptis'ue existunt,

ſtunt, pariter ad hæreditatem aui uocantur, nec qui gradu proximior eſt ulteriorem excludit. Cæterùm quoniam diximus, deſcendentes cæteris præferri, ſi ſui, aut ſuorum loco habeantur. Scire oportet, qui ſint iſti, & qui non ſint, atque etiam qui effectus ex huiuſmodi ſuitate proueniant, à qua ſui deducuntur. Suitas quid ſit, plerique definire fruſtra tentauerunt, hactenus pauci ſat rectè iudicio Alciati, qui eam ſic rectè finiri poſſe putat: Suitas eſt, inquit, hæredum qualitas, qui primum in poteſtate paterna locum tenent, cõtinuationem dominij neceſsitatem& ſucceſsionis ipſo iure inducens. §. Sui autem. Inſtit. De hæred. qualit. & differ. Alciat. lib. Parergon iuris v. cap. x i x. Petrus Loriotus Salinenſis eam ita finiri poſſe credidit. Suitas eſt continuatio dominij ſine ulla aditione non hæreditatem, ſed bonorum adminiſtrationem transferens. Caius in l. In ſuis. ff. De ſuis & leg. hæred. In ſuis, inquit, hæredibus aditio non eſt neceſſaria: quia ſtatim ipſo iure hæredes exiſtunt. Paul. in l. In ſuis. ff. De liber. & poſth. Quam inueniſſe ius ciuile Paul. refert in l. fin. in princ. ff. De bonis damna. nec non Pap. in l. Scripto. ff. Vnde liberi. propter ſcilicet naturalem rationem & parentum uotum. Quæ natura & uotum, cùm & in emancipatis & matrum filijs procedant: mirum uidetur cur tales ſui non dicantur. l. De emãcipatis. uerſic. Cùm enim. c. De leg. hære. l. Matris pietas. c. Qui pe. tuto. Caius in l. Nulla fœmina. ff. De ſuis & legit. hære. Hanc ob tres rationes ſimul iunctas inuentam fuiſſe poſteris ſcriptum reliquit Loriotus, puta ob rationem naturalem, poteſtatem, & paternam familiam. ut in d. l. fi. ff. De bonis damna. iuncta l. Lege Cornelia. ff. De teſt. & d. l. In ſuis. uerſic. unde. Sed proximior cauſa familiæ eſt: unde ſui dicuntur, quia domeſtici, hoc eſt, familiares, & hi ſoli qui proximiores ſunt, quos Galli *heritiers presumptifs* uocant. §. Sui. uerſic. ſed ſui. Inſtit. De hære. qual. & di. l. Quod ſi nolit. §. Idem Pædius. ff. De ędilitio edicto. l. iiij. ff. De his qui ſunt ſui uel alie. iur. d. l. In ſuis. Nepotes uerò quia niſi filijs deficientibus neque ſui ſunt, neque in familia: nepotes familiarum non dicuntur. §. Ita demum. Inſtit. hoc titul. Paul. in l. Pronuntiatio. §. Iure. in fin. ff. De uerb. ſignific. Cùm igitur emancipatus, uel filius matris in familia non ſint: neque ſui eſſe poſſunt. Sui itaque, ſi conſideremus quod euenire poteſt, omnes deſcendentes effici poſſunt. Gl. l. Si fœmina. c. Ad Turpil. Sed ut quis uerè Suus ſit, duo neceſſario requiruntur, quòd & in poteſtate ſit, & mortis tempore proximior. §. Emancipati. Inſtit. hoc titul. d. §. Sui autem. Et ob hæc duo, in dubium uocari non

Suitas quid ſit.

poteſt, an poſthumus qui cùm antequam naſcatur non ſit in poteſtate, non ſuus, ſed futurus ſuus dici debeat? l.fi. ff. De aſsig. liber. Ego reiectis opinionum nænijs arbitror poſthumum in his, quæ illius tantùm commodum reſpiciunt, haberi pro nato, ut in tutela, legato, & ſimilibus. Paul. in l. Qui in utero. ff. De ſtatu homi. §. Cùm autem. Inſtit. De tute. §. Poſthumus. Inſtit. De lega. Secus autem in his, quæ ſibi damnoſa, ut patria poteſtas, uel alteri utilia, aut damnoſa eſſe poſſunt. Iaſon in l. Si à primo. ff. De liber. & poſth. l. ij. §. Qui autem in uentre. ff. De excu. tuto. l. Cùm quidam. §. j. uerſic. Si fuerit æditus. ff. De acquir. hæred. Vnde teſtamentum non rumpere. Vlp. in l. iij. ff. De iniuſto rup. & irr. facto. neque ſuum, niſi largè dici, ſed tantùm futurum ſuum. §. Poſthumi. Inſtit. hoc tit. Cùm largè omnes, qui ſui futuri ſperantur, ſui dici poſſunt. Vlp. in l. iiij. ff. De hæred. inſtit. Nepotes uerò ſui ſunt, ſi morte aui ſint proximiores, uel deſtituti teſtamenti tempore. § Ita demum. Inſtit. hoc tit. Caius in l. Poſthumorum. ff. De iniuſto rup. Paul. in l. Si quis poſthumos. §. Si filium exhæredauero. uerſi. Sed etſi. ff. De lib. & poſth. Sed etſi, inquit, hæres inſtitutus omiſerit hæreditatem, erit legitimus hæres; quoniam hæc uerba, Si inteſtatus moriatur: ad tempus mortis referuntur, quo teſtamentum deſtituitur. quia illud non mortis tempus, ab inteſtato, aut quando nemo mortis tempore propter præteriti uel exhæredati impedimentum ſuus eſt, conſideratur. Vlp. in l. Si quis filio. uerſic. Nam agnaſcendo. ff. De iniuſto teſtamento. Aphricanus in l. Si filius hæres. ff. De lib. & poſth. l. Qui in aliena. §. Interdum. ff. De acquir. uel omitt. hæred. l. fin. uerſic. neque enim. ff. De condi. inſtit. Nepotes ergo in hoc ordine, quia mortuis patribus ſui ſunt, in ſtirpes non ſolum inter ſe, ſed & cum patruo concurrunt. l. ij. & iij. C. De ſuis & leg. hære. Quinimo nepos ante patruum, non poſt genitus, ex primo nato filio præfertur in regno, quod per ſtatutum, non filio primo genito ſed ſimpliciter primo genito defertur. Clementina Paſtoralis. De re iudic. Bald. in d. l. iij. C. De ſuis & leg. hære. Alexand. in l. Is poteſt. ff. De acqui. uel omitt. hære. cap. licet uniuerſis. de uoto. Multi multa in hanc rem poſteris ſcripta reliquerunt, ſed hæc receptior uidetur ſententia. Secus ſi poſt ſecundogenitum natus ſit, nam tunc nunquam præfertur: quoniam primogenitus non eſt. l. Quod certatum. C. De poſth. hæred. inſtit. Idem erit ſi ante natus eſſet, modo ſtatutum filio primogenito regnum deferat: quippe cùm filii appellatione nepos non ueniat. Paul. in l. Filij appellatione. ff. De rer. & uerb. ſignific.

signific. Loriotus in tit. De gradi. Alciat. cap. XV. lib. VIII. Parergon iuris.

NEPOS uerò post mortem aui conceptus, licet quædam iura habeat, non tamen suus est. l. Paul. respondit. §. Paulus. ff. De bonis liber. §. Cùm autem. Instit. hoc tit. Sicut nec is qui se patris hæredem negauit. l. Qui se patris. c. Vnde libe. Qui sui sunt, ex suprà scriptis nullo negotio intelligi potest. Nunc qui effectus ex suitate proueniant, paucis ex mente Loriotti ostendamus.

SVI sine ulla hæreditatis aditione, hæredes existunt, etiam inuiti, & ob id necessarij appellantur. Caius in l. In Suis. ff. De suis & legit. hæred. In suis, inquit, hæredibus aditio non est necessaria: quia statim ipso iure hæredes existunt. tametsi ex prætoris beneficio, nisi naturales essent, per curiæ oblationem legitimi facti, abstinere posint. §. Et quoniam uariæ. suprà Quibus mod. nat. efficia. sui. §. Sui autem. Instit. De hære. qual. & differ. Sui igitur per hæreditatis obuentionem, cum à defuncto ad illos continuari dominium dicatur, nihil, quod nouum sit, acquirere præsumuntur: adeò ut titulo pro hærede careant. Caius in d. l. In suis. Ang. in §. Sui autem. Instit. hoc tit. l. Nihil. cum ibi notatis. c. Pro hærede. Vnde in plerisque locis, quibus lex municipalis est, ut pro noua acquisitione alicuius dominij census aliquis, aut tributum pendatur, sui hæredes hæreditatis causa nihil persoluunt; quod statutum iuri ciuili conuenit. d. l. fin. ff. De bonis damna. d. l. In suis. cum similibus. ff. De liber. & posth. Habent & sui hæredes alia multa commoda; nam etiam ignorantes hæreditatem acquirunt. §. Sui. Instit. hoc tit. Et ea, quæ in testamento descripta sunt, scire præsumuntur. Aphricanus in l. Eius, qui in prouincia. ff. Si certum pet. alij uerò hæredes si inscij sunt, hæreditatem acquirere minime possunt. Glos. in l. Is potest. ff. De acquir. hæred. Effectus suitatis.

FVRIOSVS item, & pupillus, si sui sunt, ipso iure hæredes fiunt. citato §. Sui. Instit. hoc tit. Si uerò non sint, citra curatoris, uel tutoris autoritatem adire nequeunt. Vlp. in l. More nostræ ciuitatis. ff. De acquir. uel omitt. hære. Item qui sui sunt hæredes, & non alij, hæreditatem non aditam ad proprios hæredes transmittunt. Iustin. in l. Vnica. §. Nouissimo. c. De cad. tollend. Martianus in l. Si ex pluribus. ff. De suis & leg. hæred. Sed contra quispiam opponet: matris filij, qui respecta matre licet sui non sint, hæreditatem tamen non aditam transmittunt. Caius in l. Nulla. ff. De suis & legit. hære. iuncta l. Vnica. c. De his qui ante aper. tab. hære. transmittunt.

RESPONDENDVM est filios siue patris, siue matris, ad liberos sola consanguinitatis, non suitatis ratione hæreditatem trãsmittere, ut in d.l. Vnica. Ad extraneos uerò hæredes, etiamsi ex superiore cognatione essent, nemo ex eo solum quòd consanguineus sit, nisi & suus, ipsi defuncto hæres esset, hæreditatem non aditam, transmittere posset. l. ij. C. Ad S. C. Orficia. & ibi Glos. l. Apud hostes. C. De suis & legit. hære.

ALIVM præterea effectum producit Suitas, quoniam impedit, ne hæreditas aliquo tempore iaceat, cùm illam ipso iure transferat. Gl. l. Cùm hæreditas. C. Depo. d. l. In suis. ff. De suis & leg. hær. Vnde Bald. in citata. l. Cùm hæreditas. existimauit, contra huiusmodi hæreditatem, quasi iacentem, non agi, nec illi curatorem dari posse. Verùm huic sententiæ Paul. Castr. in l. In suis. ff. De liber. & posth. refragatur: non enim iacere dicitur hæreditas, quoties de Suorum commodo tractatur. Paul. in l. Liber homo. §. Apud Labeonem. ff. De stip. seruo. Secus si agatur de aliorum damno. arg. l. iiij. ff. De bonor. possess. contra tabul. Et idcirco cùm isti sui abstinendi beneficium habeant, licet ob id ipso iure hæredes esse desinant, tamen creditorum respectu, pro emancipatis habentur, ita ut si hæreditatem relinquere uelint, nullo modo conueniantur. §. Sui autem. Instit. De hære. qual. & diffe. l. j. §. Qui sunt in potestate. ff. Si quis omissa causa. l. Nam nec emancipati. ff. De leg. j. l. Necessarijs. ff. De acquir. hæred. Vnde aduersus hæreditatem ceu iacentem creditores, ne moram diutius patiantur, agere poterunt. Arg. l. j. in princ. ff. De succes. edic.

EST & alius suorum effectus, quòd si hæreditatem repudient, olim adhuc perpetuò illam consequi poterant: hodie intra triennium tantum: modò res hæreditariæ alienatæ non sint. Vlp. in l. Si quis suus. ff. De iure deliber. l. fin. C. De repu. hære. Quamuis enim ab hæreditate se abstineant, propter Suitatem nihilominus, hæredes remanent: quoniam cùm etiam ante defuncti mortem quodammodo, ut diximus, domini essent, quod iam acquisitum est, amplius repudiari non potest. Vlpian. in l. Cùm quasi. §. Sed etsi suus. ff. De fideicommiss. liber. d. l. In suis. l. j. §. Decretalis. ff. De succes. ædic. Sed an sicut quasi domini uiuente patre existunt Sui, ita & quasi possessores dicantur? & dici nonnulli uoluerunt, adeò ut sine ulla possessionis apprehensione (quod in alijs hæredibus secus est) rerum hæreditariarum possessores essent. Glos. in uerbo quodammodo. d. l. In suis. Quorum opinio uera esse potest, in possessione impropria: in

ea

ea uerò, quæ post defuncti mortem uera per apprehensionem effici solet, illius continuatio sine apprehensione nunquam intelligitur. Vlp. in l. j. §. Scæuola. ff. Si is, qui test. li. esse iussus erit. certum est autẽ solum defunctum & non alium (cum duo eiusdem possessionis respectu insolidum possidere nequeant) uerè possedisse. Vlp. in l. Si ut certo. §. Si duobus uehiculum. ff. Commoda. ueramq; illam possessionem animo retinuisse: qui animus per mortem cesset, & illa quoque uera possessio extinguitur, d. l. Si ut certo. l. Possessio. §. j. ff. De acquir. possess. l. Licet. C. eod. l. iiij. ff. Locati. l. Qui uniuersas. §. Quod colonus. ff. De acquir. possess. Vnde noua apprehensione opus non est.

RVRSVS dubitatur de Emancipatis, qui licet olim sui non essent, nec præteriti, iure ciuili testamentum rumperent, sed tantum iure prætorio, si exhæredati non essent, uel tempore exclusi, aut in arrogationem se non dedissent, per bonorum possessiones admittebantur, §. Emancipati. Instit. hoc titu. §. Emancipatus. Instit. De exhære. libe. Paul. in l. iiij. ff. Vnde libe. Liberi & capite minuti, inquit, per edictum prætoris ad bono. possess. uocantur parentum: nisi adoptiui fuerint, hi enim & liberorum nomen amittunt post emancipationem. Vlp. in l. j. iuncta l. Si postea, quàm. ff. eod. Hodie tamen ex communi interpretum sententia, inter emancipatos & suos nulla, saltem ab intestato, uidetur esse differentia. Dd. in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. De liber. & posth. §. Nullam. infrà hac Nouell. l. adeò ut plerique existimauerint, omnes ab intestato bonor. possessiones, nec non tit. De coniung. cum emanc. lib. superflue nobis tradi. Glo. Rubr. ff. De coniung. cum emanci. libe. Egu. Baro uir nostræ ætatis alter Papinianus, iure huius Nouell. constitutionis emancipatos absque prætoris beneficio hæredes fieri asserit.

VERVM Andre. ille Alciatus lib. Parad. iij. ca. x. & Perrotus in §. Et quid si tantum. d. l. Gallus. contrà senserunt, sublatam patriæ potestatis & emancipationis differentiam minimè esse: sed tantum agnationis & cognatio. Hoc tamen in emancipatis correctum fuisse, quòd in fratrum bonis æqualiter admittantur, cùm olim in patris duntaxat admitterentur successione, Iustinia. in l. Meminimus. C. De legiti. hæred. Cùm igitur, inquit, Prætor filium emancipatum, licet subtili iure capite fuerat diminutus, attamen in patris successionem sine ulla diminutione uocare manifestissimus est, non eodem autem iure etiam ad fratrum suorum successionem ab eo uocabatur, sed nec filij eius iure legitimo suis patruis succedebant: necessarium duximus

hoc primum corrigere, & legem Anastasianam iusto incremento perfectam ostendere: ut emancipatus filius & filia non solùm in paternis bonis ad suorum similitudinem succedant: sed etiam in fratrum uel sororum suorum successione (siue omnes sui, siue omnes emancipati sunt, siue misti) æquo iure inuicem sibi succedant. Hoc item ad ius antiquum auctum fuit, ut emancipati parentibus, etiam in potestate morientibus succedant. §. Si quis igitur. intra hac Nouella lege. Crediderim igitur cum Lorioto emancipatos Suitatis iura minimè habere, sed tantùm unà cum alijs iure Prætorio per bonorum possessio. succedere posse: Aut si iure ciuili hodie succedere possint cum Mathexillano arbitror, non ut sui hæredes, sed ut extranei admittendos esse, cum ius nouissimum de Suitate non loquatur: Nam, inquit, succedant filij aut filiæ cuiuscunque gradus siue alterius potestati subiecti, siue potestate soluti sint, & siue per masculinam, siue per fœmininam sobolem descendant. Ecce cùm de fœminis loquatur, quæ suos hæredes non habent, aperte ostendit, de Suitate nihil differere uelle.

HVIVS quæstionis inuestigatio, non est inutilis, cùm inter suos & emancipatos hodie etiam sit differentia: quòd hæredum suorum (quos præsumptiue sic appello) pater materna bona administret, & fructus percipiat, per eos acquirat. l. Cum oportet. C. De bonis quę liberis. §. j. Instit. Per quas perso. nob. acqui. Quod emancipatis non conuenit. Aliquando tamen hic emancipatus omnia suorum retinet commoda: ueluti si per alicuius dignitatis adeptionem sui iuris factus est, uel si alicui extraneo in adoptionem datus sit, uel si in monasterium ingrediatur: tunc enim licet in abbatis potestatem transeat, patri nihilominus ceu suus succedit. §. j. Constitutio, quæ dignita. & episcopa. fili. lib. suprà l. penul. §. Sed si quid. C. De Adop. Bart. in l. fi. C. De episco. & cleri. Glos. l. Si ex causa. §. Papinianus. ff. De mino. Hoc tamen casu nonnulli contendunt, siue pater, siue filius monasterium ingressus sit, sublatam non esse patriam potestatem: cùm quia aliter iure cautum non reperitur: tum quia abbatis potestas non nisi spiritualis est. Mathexilla. in tractatu success. ab intestato.

CAETERVM dubitari potest, quid de filiabus: nam licet inter suos connumerentur hæredes, illarum tamen liberi, auo materno extranei sunt: quoniam illos in potestate non habet. §. j. Instit. hoc tit. §. fi. Instit. De pat. potest. Ad ipsius nihilominus hæreditatem admittuntur, perinde ac matres. §. Neque illo. suprà

ſuprà De triente & ſemiſſe. licet olim cum diminutione tertiæ partis duntaxat ſuccederent. §.fin. Inſtit. hoc tit. Sciendum tamen eſt filias per legem municipalem ab hæreditate extantibus maſculis plerunque excludi, tuncꝙ deſinunt inter ſuos hæredes annumerari, adeò ut nec illis ulla legitima debeatur: ut ſentit Bart. in l. j. §. Sciendum. ff. De ſuis & legit. hære. cuius ſententiam ſequitur Philipp. Decius in l. Iura ſanguinis. ff. De regul. Sed nunquid huiuſmodi ſtatuto filiarum liberi excluſi erunt? Si conſideremus ſtatuti rationem à Theoph. iuris autore traditam in §. Hæreditas. Inſtit. De leg. agnato. ſucc. maſculos ideo præferendos eſſe, quòd Reipub. ſint utiliores, dum bella gerunt, ſacra faciunt, & muneribus publicis funguntur, uidentur non excludi: cùm huiuſmodi munera, ſi maſculi ſint, ſubire poſſint. Contraria tamen opinio iure uerior eſt, nam ubicunque mater excluditur, ita & illius liberi. §. Ex diuerſo. hac Nouell. Adhæc qui mulierem aliquam uxorem ducere non poteſt, nec illius filiam habere poteſt. §. Fratris uerò filiam. Inſtit. De nuptijs. Illud tamen prætereundum non eſt, ſupraſcripta lege municipali fœminas non impediri quominus matri inteſtatæ ſuccedere poſsint. argu. l. ij. ff. De leg. hære. cur enim naturam qua fœminæ natæ ſunt accuſare uolumus? l. Maximum uitium. c. De liber. præte. Sed nec illam legem municipalem iure ſubſiſtere poſſe Bald. in l. fin. c. De dotis promiſs. putat, niſi filia uel à patre, uel à fratre (dos enim matris illam à patris, uel fratris ſucceſs. non excluderet) dotata fuerit. Idꝙ receptiſsimum eſſe haud dubijs uerbis teſtatur idem Bal. in l. Mater. c. De iure dotium. & in Nouell. Res quæ. c. Communia de ſucceſs. Hîc præterea conſiderandum eſt, filiam dotatam, niſi dote collata, nunquam ſuccedere poſſe, ut uidere licet in toto tit. De coll. dotis. ff.

VERVM in dubium etiam uocari poteſt, quid de filio capto? & certi iuris eſt filium ab hoſtibus captum, ſi ibi decedat, ſuum non dici, idꝙ haud dubijs uerbis teſtatur Iulianus in l. Lege Cornelia. ff. De teſta. ſecus ſi (etiam poſt patris mortem) reuerſus ſit. §. Si ab hoſtibus. Inſtit. Quib. modis ius patr. poteſta. ſoluitur. tunc enim fictione iuris poſtliminij nunquam captum fuiſſe fingitur.

DEPORTATVS uerò neque ut ſuus, neque ut extraneus ſuccedere poteſt. l. j. c. De hæred. inſtit. quia per maximam, aut mediam capitis diminutionem ius ſuccedendi perdidit. §. Sed agnationis. Inſtit. De legit. agna. ſucceſ. imo & contrario caſu filius illius, qui poſt mortem perduellionis reus iudicatus eſt,

adeò suus esse desinit, ut nec iura sepulcrorum retineat. Vlp. in l. j. §. Interdum etiam. ff. De suis & legit. hæred.

DVBITARI etiam potest de filijs adoptiuis, uel arrogatis, nam hi minus iuris habent, quàm naturales & legitimi: cum in feudo non succedant, an Sui sint? sed nos huic quæstioni suo loco pluribus infrà satisfaciemus.

DVBITARI etiam potest, quid de Naturalibus tantùm: nam illi sui non sunt, cum matris conditionem sequantur, & ideo non agnati. §. Si aduersus. Instit. De nupt. Caius in l. Cum legitimæ. ff. De statu homi. Cùm legitimæ, inquit, nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur. Vulgò quæsitus, matrem sequitur: agnatio siquidem à patre proficiscitur. Caius in l. Sunt autem agnati. ff. De legit. tuto. Isti tamen multis modis & sui, & agnati effici possunt, ut suprà Quib. mod. nat. effic. sui. Et quib. mod. nat. effic. legit. In hac itaque quæstione sciendum est:

NATVRALES, quorum uariæ sunt species, ut mox infrà docebimus, ex copula carnali inhonesta, sed non prohibita natos, ad ius suorum multis modis peruenire, unaq; cum naturalibus & legitimis æqualiter succedere posse. ut in toto tit. suprà Quib. mod. nat. effic. sui. Imprimis hi qui ex concubinatu nascuntur, per subsequens matrimonium sui efficiuntur. l. Cùm quis. C. De nat. libe. etiamsi antequam istud contrahatur, aliam uxorem duxisset post concubinatum hic concubinarius. §. Si uerò & naturalium. uersic. Omnium cum suis autem. suprà Quib. mod. nat. effic. legit. Nam uel in mortis articulo, hoc subsequens matrimonium contrahi potest: Siquidem ad ultimum usque uitæ articulum fieri nuptiæ possunt. Iason in l. Sed est quæsitum. ff. De liber. & posth. Iulianus in l. Hoc genus legati. ff. De condi. & demonstr. Nec urget quòd dos in articulo mortis utiliter minime constituatur: sine cuius tamen dotis dotaliumq; instrumentorum confectione per subsequens matrimonium nati ex concubinatu legitimi non fiant. Paul. in l. Iulianus. ff. De iur. dotium. §. fin. Instit. De nuptijs. Quod iure ciuili uerum est, secus iure Pontificum, quo hanc dotis, dotaliumq; instrumentorum solennitatem necessariam non esse, indubitati iuris est: cui iuri quoad matrimonium attinet, stare nos oportet. cap. Tanta est uis. Qui filij sunt legitimi. Glos. ab omnibus approbata Instit. De nupt. in princ. Quòd si quis rursus obijciat, nullos legitimos fieri posse, nisi hi qui matrimonium contrahunt, spem suscipiendæ sobolis habuerint, qua spe priuatur qui in articulo mortis est. l. Nuper. uersic. sufficiat. C.

De

De nat.liberis.Respondemus cum Lorioto sufficere spem illam quæ natura esse potuit,licet per ætatem,aut ualetudinem impediatur.arg.l.Si quis posthumus.ff.De liber.& posth. Cæterum ut per hoc subsequens matrimonium naturales efficiantur legitimi,necesse est concubinam (nam si meretrix esset,natus ex patre incerto quomodo legitimus fieret?) tempore partus,eius conditionis esse debere, ut cum ea matrimonium contrahi potuisset.Bald.in l.Eam quam.c.De fideicommiss.§.Quibus. Instit.hoc tit.Et idcirco si ex alterius uxore filium susceperim: ille, & si mortuo marito mulierem illam in uxorem duxero, spurius manebit.d.c.Tanta est uis. Qui filij sunt legit. Quod idem iure ciuili esset in nobili aliquo qui rem cum uili muliere haberet: illam nanque uxorem habere non potest,nisi iure Canonico,cui hac in re,ut dixi,standum est.§.Sed & aliud.suprà Quib. mod. nat.effic.c.Inter opera.De sponsali.c.penulti.De secund.nupt.

SECVNDO Naturales efficiuntur legitimi, si in instrumento,tribus testibus subsignato,pater illos nominauerit filios, neque addiderit naturales.§.Ad hoc autem.suprà Vt liceat ma.& aui. Cùm enim solo consensu nuptiæ fiant, per huiusmodi filij nominationem, concubinam illam uxorem suam esse affirmat, modò tamen tali professioni mulier assentiat, nimirum, quòd citra illius consensum matrimonium non subsistat.l. Nuptiæ.ff. De regul.iur.citato §.Ad hoc.in fi.Bald.in d.tractatu in j.parte Nu.27. Sed & partus tempore mulierem talem esse oportet, ut eam concubinarius uxorem habere potuerit.d.§.Ad hoc. At cōtrà,ex sola filij uel fratris nominatione,imo nec ex publica quidem fama,si alijs non adiuuetur adminiculis & signis, non præsumitur quis filius, aut frater esse, & si in testamento esset facta talis professio, ob quam etiam inter nominatos, ceu inter fratres, diuisa esset hæreditas.l.Non nudis.iuncta l. Non epistolis. C.De probatio.l. Neque professio matris.c.De testa.ordi. Imo nec etiam in pijs causis, huiusmodi nominationes probationes inducere solent.l.Iubemus.c.De libe.causa. His argumentis respondendum est, ex filij nominatione, aliquem non plenè probari filium esse, sed semiplenè tantùm. Scæuola in l.fi.in prin.ff. De probatio.cui semiplenæ probationi, dum contrarium probatum non fuerit, standum est,Bart.authore in l. Item quod.§. Item per contrarium.ff.De libe.agno. Adde etiam hanc filij nominationem, si uel in iudicio, uel extra iudicium parte præsente, non alterius rei quàm filij agnoscendi causa fieret, plenam faceret probationem, ut tradunt utriusque iuris interpretes in c.

per tuas.extra, Qui filij sint legitimi.& in lege Non epistolis. cum sequenti.c.De proba. Argu.etiam legis, Certum.§.Si quis absente.ff.De Confessis. Cùm igitur pater filium in instrumento tribus testibus subsignato, non ob aliam causam, quàm ut filium naturalem legitimum faciat, nominauerit; mirum non est si plena sit probatio, & ideo efficax, ut ex ea professione fratres eius qui nominatus est, legitimi quoque efficiantur.d.§. Ad hoc. Tertiò, naturales efficiuntur legitimi, dum curiæ offeruntur, uel filiæ fiunt legitimæ si curialibus nupserint.§.fi.Instit.De Nuptijs.cum similibus.l. Si quis.c.De Natu.libe. Fit autem hæc curiæ oblatio per patrem, uel inter uiuos, quando illos curiæ offert, uel in testamento, cùm scribit eos curiales fieri oportere. §.Si quis igitur fuerit.suprà Quib.mo.nat.eff.sui. Potest etiam naturalis tantùm filius, sponte propria curiæ se offerre, sed tunc legitimus non erit, si aliqui naturales & legitimi supersint.§. Si quis igitur ex qualibet.suprà Qui.mod.natu.effi.sui. Secus cùm patris adest consensus, nam tunc unà cum alijs suus hæres est: soli tamen patri fit hæres legitimus, non alijs agnatis, licet per subsequens matrimonium istis agnasceretur.per text.in l.Communium.c.De natu.libe. Quartò, per principis rescriptum naturales efficiuntur legitimi. Nouell.Præterea.c.De natur.liberis. Sed hoc solus princeps, aut alius qui hanc à principe specialiter potestatem habet, rescribere potest: non autem is qui principe inferior est. Argu.l.j.§.Qui mandatam.ff.De off.eius cui mand.est iurisdi.c.per uenerabilem.uersi.Insuper. Qui filij sunt leg. Vnde sicut ciuitas natalibus restituere uel ingenuitatem dare prohibetur, ita etiam & legitimum facere: hoc enim & restitutioni æquiparatur.l.j.c.De iure aureo.anu.§.si quis sanè.suprà Quib.mod.nat.eff.legi. Sed & si pater in testamento suo, se uelle, ut filij sui naturales legitimi fiant, asseruerit, legitimi erunt principe hanc assertionem postea approbante: modò tamen alij non supersint legitimi & naturales. Nouell. Item sine.c. De natu.libe. Hoc tamen rescripto is qui ex damnato coitu natus est, legitimus etiam effici potest.d.cap. Per uenerabilem.circa principium. Cæterùm ut legitimatio per rescriptum principis facta iure subsistat, oportet eum qui legitimus efficitur sub imperio rescribentis esse. Argu.l.fi.ff. De iurisdict.omnium iudi. Necesse est item omnia ea in rescripto inserere, quibus princeps hinc inde potuit commoueri, uel ad concedendum, uel ad denegandum.c.2.De filijs presbyterorum. Præterea & clausula derogatoria in rescripto exprimi debet, qua iuri spurium succedere non posse

posse disponenti, derogatur. Glos. in uerbo participium. §. fi. supra Quib. mod. natur. eff. sui. Sufficiet tamen generalis hæc derogatio, Non obstantibus quibuscunque legibus. ut asserunt iuris interpretes in citato cap. Per uenerabilem. Quinimo absque clausula illa certam principis rescribentis scientiam sufficere profitentur doctores, Arg. l. Qui in prouincia. §. j. ff. De ritu nuptia. Deniq; hoc silentio inuoluendum non est, omnes legitimationis modos, ita demum ualere quos suprà recensuimus, si is de cuius legitimatione agitur, consentiat. d. §. Generaliter. suprà Qui. mod. natu. eff. sui. Alioquin beneficium in inuitum conferri non posset: & maximè in hoc casu, quo nemo inuitus in patriam reduci potest potestatem, sicut nec ab ea liberari. Paul. in citata l. Inuito. ff. De reg. iuris. §. fi. Instit. Quib. mod. ius patriæ potestatis soluitur. Verùm si patre, uel eo, qui legitimus efficitur patris consensu postulante, legitimatio fiat: nullus agnatorum requiritur consensus. ut uult Bar. in l. Gallus. §. & quid si tantùm. ff. De libe. & posthu. Nam pater de bonis suis, ut liber, disponere potest: tametsi nulla legitimatione interueniente naturalibus quicquam concedere non posset, nisi omnibus naturalibus & legitimis deficientibus l. Cùm adoptio. ff. De adoptio. Nouell. Licet. C. De natu. liberis. Si uerò ex legitimatione nullus patris interueniret consensus, solus princeps, alios legitimos & naturales non ignorans, naturalem hoc postulantem legitimum efficere potest, cùm ius agnationis quod abstulerat, restituere possit. ut Nicol. ab Vbaldis in tractatu successionum nu. 79. asserit. l. Prætor ait. §. Merito. ff. Ne quid in loco uel itinere publico fiat. Sed quid si non sint descendentes legitimi, sed tantùm transuersi? illorum consensum non esse requirendum Abbas existimat in c. Per uenerabilem. Qui filij sint leg. in cuius sententiam descendunt reliqui omnes, nisi quando illis præiudicaretur: puta, si legitimatio post patris mortem, qui nunquam consenserat, fieret. quo casu & adhuc principem, si uellet, illis non uocatis legitimum facere posse certi iuris est. Arg. l. penult. ff. De natal. restitue. Marcell. in l. 2. in fin. ff. eo. Verùm inferioris ordinis successionem nunc his iactis fundamentis, breuissimis reg. complectamur.

ORDINIS inferioris, ut suprà docuimus, sunt: qui deorsum uersus descendunt liberi, ut filij utriusque sexus, nepotes, neptes, & infra hos etiam posteriores, quibus hęreditates omnibus alijs exclusis ex intestato deferuntur. Et hi aut naturales & legitimi sunt, ut qui ex iustis nuptijs procreati sunt: aut legiti-

mi

mi tantùm, ut adoptiui, aut illegitimi, & horum uariæ sunt species: alij enim sunt naturales tantùm quos Græci φυσικοὺς uocant, hoc est, qui ex concubina domi retenta & quam habere licuit, sunt nati: & ij licet ab alijs lege ueteri non distarent, tamen lege Nouell. Iustinia. priuilegium in causa intestati consequuti sunt, ut suo loco ostendemus. Sunt & naturales, qui ex matre nati sunt, cum qua stuprum non esset: ut quia liberta sit, quæ etiam inuito patrono alicui se in concubinatum dederit: uel ingenua sit, dum tamen obscuro loco nata, seu quæ corpore quæstum fecerit. l. penult. & cum huiusmodi filijs post Diui Antonini constitutionem habebat pater testamenti factionem: antè non habebat. l. Cum tabulis. §. j. ff. De his qui. ut indig. Alij sunt nothi, quæ dictio, ut Fab. Quintil. libr. 3. c. 8. ait, latine explicari non potest: ij sunt & ipsi ex concubinatu progeniti, qui nulla lege pœnam indictam habet, hocq́ distāt à naturalibus, quòd ij non adeò custodita matre, nec quæ loco uxoris haberetur nati sunt: ideo'que nullam eis ab intestato portionem lex defert. Rubr. Nouell. Græca, De nothis. Aliàs quib. mod. nat. eff. sui. Vnde pauci uerè naturales sunt, ut rectè Bald. docuit, in Consilio 242. in j. uolum. & Oldra. in consilio 196. At nothi plerique sunt, qui naturales & ipsi sunt, sed non adeò certo patre: nam & hoc nomine continentur qui ex scortis & meretricibus suscipiuntur, quos lex ἐμφατικωτέρως, & speciali significatione spurios uocat, quasi uulgo conceptos, παρὰ τὸ σποράδην, ut Iustinia. ait, in §. Si aduersus. Instit. De nuptijs. Istis autem seu naturalibus, seu nothis lege antiqua nihil relinqui poterat: quoniam lex, ut Iusti. ait, in l. j. iuncta l. Nec apud. C. De hæred. institu. iuncta l. j. §. 2. ff. De lega. 3. eos habebat tanquam ἔκφυλον τι καὶ παντελῶς ἀλλότριον τοῦ πολιτεύματος. hoc est, peregrinos & omnino à iure ciuitatis alienos. Post constitutionem autem Diui Antoni. cœpit patri cum eis testamenti factio esse: poterat'que pater eos cohæredes iusto filio dare, uel substituere, uel aliter arbitratu suo eis legare. Paul. in l. Lucius. ff. De uulg. & pup. Donec recentiorum imperatorum legibus arctata est hæc potestas: & imprimis à Constantino eorum patrum respectu, qui dignitate aliqua præfulgerent. l. j. C. De natu. lib. Deinde Valentiniani lege, quæ Constantianam aliquatenus restringit, & in Codice Theodo. etiamnum extat: mox Arcadij & Honorij Constitutione, quæ extat in l. 2. C. De natu. libe. tandem'que Iusti. Nouella, qui unciam eis duntaxat relinqui posse sanxit, si alij legitimi extent: alioqui uel totum. Nouell. Licet. C. De natu. libe. Alij sunt spu-

rij

rij ex coitu damnato procreati, id est à lege uetito, & punito: ut si ex matre nati sint cum qua stuprum committeretur, & ij semper incapaces fuerunt: nisi quatenus beneficio principis impetratum esset, ut eis usque ad certum modum relinqui posset, hoc est, ad alimenta usque. Sic enim interpretatur leges Andr. Alciat. Reip. nostræ legalis ornamentum, quæ eorum mentionem faciunt. Iustinia. tamen Constantianę legis exemplo nec ali illos uoluit. Nouell. Ex complexu. c. De incestis nupt. §. fin. suprà Quib. mo. na. eff. sui. Pontificum tamen humanitate hodie receptum est, ali debere, ut pluribus suo loco ostendemus. Sic'que rursus ius uetus restitutum illis quod ad alimenta attinet, est. Hinc'que satis apparet, lege ueteri nullam fuisse inter hosce spurios differentiam: sed omnes latinæ seu peregrinæ conditionis fuisse, nec ab intestato successisse, ex testamento uerò nihil ultra alimenta consequi potuisse, Iustinia. uerò secundum suprascripta distinxisse. Erat & alia species naturalium, quos quis ex ancilla suscepisset: & quia partus uentrem sequitur, tales seruilis conditionis erant, nisi quatenus à domino matris manumissi essent: quo casu Latinæ conditionis efficiebantur. l. 2. C. Si manc. ita fuer. alie. l. Cùm seruus. ff. Manda. Hodie uerò Latina libertas sublata est, efficiunturq; manumissi ciues Romani. l. j. C. De lat. liber. toll. Cæterùm non me latet Oldradum consil. 196. & Bart. in l. fin. ff. De his quib. ut indignis, existimauisse cum ijs duntaxat filijs, qui ex concubina domi retenta nati sunt, testamenti factionem patri hodie esse, non cum Nothis: quod falsum esse, & aduersus Iustiniani constitutionem, si quis eius uerba diligenter in Græco autographo inspexerit: in eo enim Nothos & Physicos commemorat, & agnoscit: At qui in latinum eam constitutionem transtulit, ambos uno nomine naturales uocat: unde doctoribus nostris obortæ sunt tenebræ. Distinctio ergo illa solùm in successione intestati propter incertitudinem patris, locum sibi uendicat: at in successione testati secus est: in qua sufficit quòd pater eum in filium agnouerit, ex sententia Alciat. & Salice. in Nouella ex complexu. C. De incest. nup. Cæterùm hîc primùm de successione naturalium & legitimorum primi gradus differamus.

PRIMA igitur omnium successio est filiorum naturalium & legitimorum cuiuscunque sexus, ex eodem matrimonio, siue in potestate, siue emancipati sint, iam nati, uel posthumi, hoc est, post obitum patris nati. Et succedunt parentibus tam paternis, quàm maternis ab intestato in capita: exclusis omnibus

Prima regula de success. primæ speciei liberorum.

f ascen

ascendentibus & ex transuerso cognatis. §. Si quis igitur descendentium. hac Nouell. Consti. iuncto §. j. Insti. eo. titu. Paulus lumen gentium Galat. 4. Si filius, ergo hæres. Est autem hæreditatem in capita diuidi, ut id obiter dicamus, nihil aliud quàm eam in tot partes, eas'que æquales dispeci, quot sunt capita, quibus solet deferri, in quo cum succededi gradum consideramus, qui est proximior, & à capite successionis pari iure constitutus. Verbi gratia, Sempronius diem suum obiens, Titium & Mæuium filios post se ab intestato reliquit, fit ut in Sempronij hæreditatem, quam in duas partes æquales diuidi necessum est, Titius & Mæuius uterque in semissem atque in capita succedant, quia primum gradum & succedendi caput faciunt, apud Iurisc. Vlp. in l. Post consanguineos. §. Hæreditas. ff. De suis & leg. hęre.

IN stirpes uerò successio diuiditur, quando liberi parentis sui locum assumentes in eam duntaxat hæreditatis partem succedunt, quam parens, ubi superstes esset, adsequutus fuisset: sic nuncupata, quòd non primum gradum atque adeò caput ipsum, sed eam prolem quæ ex capite defluit, quasi stirpem & gentilitiæ domus radicem conspicit, in hunc fermè modum Titius ex intestato filios non reliquit, sed ex Seio nepotes duos, ex Caio nepotes tres, omnes patrueles, atque hæredes proximè successuros, quorum duo ex Seio nati in semissem, tres uerò quos Caius dedit, in alterum semissem, utique in stirpes uocantur: Nam quòd Titio auo succedunt, defuncti parentes occasio sunt atque medium, unde nepotes ceu stirpes in successionem disperguntur, qui rursus paternam singuli portionem uiritim dispescunt. Et hæc successio quæ in stirpes est, ueteri quidem iure inter descendentes solùm obtinebat, sed recentiori Imperatorum iure in transuersales etiam est transfusa, fratrum quoque filij cum patruis in hæreditatem alterius defuncti patrui admittuntur in stirpes: nam cessantibus primo descendentis, deinde ascendentis lineæ hæredibus, uocantur ad hæreditatem fratres in capita & fratrum qui superstites sunt filij in stirpes. Instit. De leg. ag. succe. in §. Hoc etiam. Nouell. Cessante. iuncta Nouell. post fratres. C. De leg. hæred. §. Sin autem defuncto. hac Nouel. Constit.

1. Regula. SI ex pluribus filijs aliquis fuerit mortuus relictis ex se filijs, hi succedunt auo cum patruis, loco sui patris in stirpes, seu iure ut uocant repræsentationis: hoc est, quotquot sunt, tantam partem accipiunt, quantam pater eorum si uiueret accepturus esset. d. §. Si quis igitur descendentium. iuncta l. ultima. §. hoc etiam

cogni

cognitum.c.De epiſ.& clericis. Caliſtratus in l.liberorum.ff.De rer.& uerb.ſig. Ne quis nouum eſſe putet nepotes cum filio ſuccedentes, ſuccedere in ſtirpes eadem fuit olim lex Athenienſium, cuius uerba Demoſthenes in oratione ὑπὲρ Ἄγνις refert. quem conſule.

MONSTROSVS partus non ſuccedit. Paul. in l. Non ſunt liberi.ff.De ſtatu homi.

LIBERI ſecundi uel ulterioris gradus, hoc eſt, nepotes uel pronepotes, præ cæteris omnibus cognatis, ſuccedunt auo ſuo in ſtirpes, non in capita, ſiue in linea æquali fuerint, ſiue inæquali, ſemper ſeruato iure repræſentationis, ut quiſque locum ſui patris præmortui obtineat. Vt, exempli cauſa, Auus habet duos filios: Ex altero duos ponamus, ex altero ſex nepotes: moriuntur filij ſuperſtitibus nepotibus: mox auus. Quomodo iam ſuccedent auo nepotes? Certè in ſtirpes: quia locum patrum ſuorum præmortuorum, hæreditatem in duas partes diuident. §. Item ſi ex duobus. Inſtit. De hære. quę ab inteſtato deferuntur. l. Vt liberis. c. De colla. 3.Regu.

LIBERI diuerſarum nuptiarum, ſuccedunt parentibus ſuis præ omnibus alijs, in bonis dotalibus illius matrimonij ex quo nati ſunt. Vt uerbi gratia, Si mater contracto matrimonio ſuſcipiat liberos: deinde mortuo marito eodem'que patre, nubat iterum, & ex eodem quoque coniugio naſcantur liberi: tum matri demum mortuæ ſuccedunt liberi, in ſui quotquot ſunt matrimonij dotibus & lucris nuptialibus. §. Nec illud quoque. ſuprà De non elig. ſecu. nube. iuncto §. Si uerò ueniat. ſuprà Neq; uirum quod ex dote. Idem autem eſt de patre iterum, uel tertiùm, aut quartùm cōtrahente nuptias. In alijs uerò bonis quàm dotalibus, liberi multarum nuptiarum, ſuccedunt parentibus æqualiter, ut probatur locis iam citatis. 4.Regu.

De ſecunda ſpecie liberorum legitimorum tantùm, hoc eſt, adoptiuorum, & quomodo ſuccedant parentibus.

LIBERI adoptiui, uel arrogati, minus iuris habent, quàm naturales legitimi: cùm in feudo non ſuccedant. §. Adoptiuus. Titu. Si de feudo defuncti. ut nos infrà ſuo loco oſtendemus. Adoptiui itaq; ſi ab extraneo adoptati ſint, huic extraneo olim ſui erant, niſi emanciparentur. l. Cùm in adoptiuis. c. De adoptio. In princip. ſed quia per hanc emancipationem, & illius extranei, & patris naturalis ſucceſsione priuabantur: hodie tamen ſiue tanquam filius, ſiue tanquam nepos ab extraneo adopten-

tur, omnia naturalis patris iura retinent.§. Adoptiui.Instit. De exhæred.libero.l.penult.§.Quæ in filio.c.De adoptio. Et sicut patri naturali, non extraneo usumfructum acquirunt; ita eidem patri hodie ab intestato, uel ex testamento sui sunt, & si prætereantur, testamentum impugnare possunt.§.Sed hodie.Instit.De adoptio.d.l.penult.§.j.iuncto §. Sed ea omnia.Instit. De hære. quæ ab intesta.defer.

5.Regu. LIBERI igitur adoptiui si extraneo fuerint in adoptionem dati à parente, qui eorum potestatem habet: tunc cum alijs illius filijs succedunt ab intestato æqualiter, ut est uerior doctorum sententia. Non extantibus uerò alijs liberis naturalibus, succedunt parenti adoptiuo in omnibus bonis si ab illo emancipati non fuerint, exclusis etiam ascendentibus.d.l.penult. §. Sin autem.iuncto §.Sed ne articulum.Extraneus tamen in testamen to illos impunè præterire poterat ut in citato §. Sin autem. Vnde disputant doctores an à tali extraneo educari debeant. Sed respondent Faber & Angelus in citato §. Sed ea, non debere, nisi pater naturalis egenus esset, aut operas illi extraneo præstarent.argu.l.penul.ff.De adoptio.cui tamen semper reuerentiam exhibere tenentur.arg.l.In rebus.§.Possunt.ff.Commoda. Nec illum in ius, uenia non impetrata uocare possunt, secũdum Angel.in citato §.Sed ea. Nec refert quòd illos in potestate non habeat, siquidem nec mater, nec pater emancipator, qui potestate carent, in ius sine uenia uocantur.l.fi.c.De in ius uocando.

6.Regu. LIBERI legitimi tantum, siquidem auo materno uel proauo in adoptionem sint dati, sui hæredes sunt, & non aliter succedunt, quàm naturales & legitimi; quia concurrunt duo uincula in unam personam, & naturalia, & adoptionis iura.§.Sed hodie.Instit.De adoptio.d.l.Cùm in adoptiuis.l.Si te.c. De suis & leg.

7.Regu. LIBERI arrogati sine ulla differentia succedunt arroganti, nisi emancipatio soluerit ius liberorum.l.2.& l. Si arrogator. c.De adopt. Adeò ut si pupillus esset, qui sine iusta causa emanciparetur, uel exhæredaretur, aut præteriretur, arrogatoris quartam bonorum partem, præter illa quæ ad arrogatorem transtulit, aut postea quæsiuit habere debet.§.Cùm autem impubes.Institu. De adopt.in qua quarta duntaxat tali pupillo substituere, sed non illum per fideicommissum grauare arrogator potest.l. Si arrogator.ff.De adoption. Quartam autem intelligo, non omnium bonorum arrogatoris, sed eius portionis, quam arrogatus habere debebat.l.Papinianus.§.Si quis impubes.ff.De inoff. testa.

testa. Alioqui si plures naturales legitimos haberet arrogator, sequeretur illos minus habituros fore, quod minime dicendum est.gloss.in uerbo,quartam partem.d.§. Cum autem impubes. Proinde cùm hæc quarta præterito arrogato detur, illum Nicolaus ab Vbaldis in tractatu successionum ab intestato existimauit rumpere nō posse,licet naturalis prçteritus rumpat.Plus enim,inquit, naturæ fauendum est,quàm accidenti.d.§.Sed hodie.Nec huiusmodi quarta, eodem Nicolao autore, hodie aucta est, tametsi ascendentium & descendentium sint auctæ.Glos.in uerbo,hoc obseruando.suprà De triente & semisse. Veruntamen hæc Vbaldi sententia uera non uidetur:cum hæc quarta eo tantum casu introducta sit,ut sentit Loriotus,quo arrogatus impubes sine iusta causa emanciparetur.

LIBERI naturales tantùm legitimati propter iuris autoritatem perinde succedunt,ac si ex legitimo matrimonio nati fuissent.suprà Quib.mod.natu.eff.legi.& quibus mod.natu.eff.sui. 8.Regul.

De tertia specie liberorum, qui naturales tantùm dicuntur.

LIBERI naturales tantùm nec legitimati (utendum enim est uulgo notis uocibus)ex concubinatu,succedunt patri in duabus uncijs, hoc est, in sexta parte totius hæreditatis, unà cum matre sua, uel etiam si mortua fuerit: in reliquis uerò bonis succedūt proximi cognati.§.Si quis autem defunctus.suprà Quib. mod.natu.eff.sui.iuncto §.Si quis igitur habens.eod. Nouell.Licet.C.De natu.liberis. Quæ regu.perpetuo uera est, modò tria interueniant. Primum quòd nulli filij naturales & legitimi supersint.§.Consideremus. suprà De trie.& semisse. licet antiquo iure unciam etiam illis superstitibus haberent.l.Matre.C. De natu.libe. Secundùm, quòd legitima uxor non supersit: illa enim tametsi ab omnibus transuersis excludatur,nihilominus ex concubina natos,licet transuersis potiores,impedit.§.Si quis autem defunctus.suprà Quib.mod.natu.eff.sui. Vlpia.in l.j.in prin.ff. Si tab.testa.nullæ extabunt.Glos.in uerbo,Coniuge.citati §. Si quis autem defunctus. Plerunque enim contingit, ut illis, qui uictores nostros superare solent, potiores simus. Paul.in l. Aequissimum.ff.ad Tertyll.Tertium,quòd cōcubina in domo patris maneat, eius'que sit certus erga concubinam affectus protestatione habita, quòd illam seu concubinam diligat, alioqui iure uxor præsumeretur.d.§. Si quis autem defunctus. Martia.in l.3.ff.De concubinis. Istis itaque tribus concurrentibus,filius naturalis (non tamen illius parentes, aut liberi) patri succedere 9.Regul.

potest, etiam iure pontificio. §. Filium uerò, suprà Quib. mod. natu. eff. sui. Abbas in c. Tanta. Qui filij sunt legiti. Quoniam Pontifices in hæreditatibus iuris ciuilis dispositionem sequuntur. c. Ad sedem. 35. quæstio. 5. c. Per uenerabilem. Qui filij sint legi. Nec obstat quòd concubinatum reprobent: quia nec illum Iustin. probat, qui tamen ex eo natos ad huiusmodi uncias duas uocare uoluit. c. Nemo. iuncto cap. Meretrices. 32. quæst. 4. & toto titu. De Lenoni. suprà cum similibus. Naturales tantùm nec legitimati matri uel auiæ tamen succedunt unà cum legitimis liberis: nisi sit illustris mulier. §. Nouissime. Institu. De s. c. Orficia. quod de iure uerum est; Nam huius regni moribus inductum est naturales, quos uulgò bastardos dicimus, ut neque patri, neque matri succedant, neque à parentibus quicquam præter alimenta consequantur. Autor est Masuerius in §. Item naturales. titu. De success. & Guil. Benedictus, Gallicanarum consuetudinum peritissimus in cap. Reinutius. in uerbo, & uxorem nomine Adelasiam. nu. 209. Quæ consuetudo legi diuinæ conformis uidetur. Nam Genes. uigesi. primo, & ad Galatas 4. dixit dominus: Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ. Ea etiam consuetudo legali ratione suadetur, ut Ioannes Corasius insignis iuris ciuilis interpres, & colendissimæ memoriæ præceptor, mihi in maioribus obseruandus, posteris scriptum reliquit. In commentarijs quos scripsit in tit. De Impub. & alijs substitutio. Nam, inquit, nomen hæredis nomen honoris est. l. Filium. §. Sed & si portio. ff. De lega. præstand. naturalibus autem nullus honos debetur, cum saltem de facto infames sint. Azo in summa. c. Ex quib. caus. infa. irro. Bald. in l. 3. ff. De libe. & posthu. & in l. in Bonæ fidei. c. De reb. cred.

De quarta specie liberorum qui spurii uocantur, hoc est, uulgò concepti.

10. Regu. SPVRII, hoc est, uulgò concepti, siue ex publica meretrice nati, patri non succedunt. Tunc enim pater incertus est. §. Si aduersus ea. Instit. De nup. Hieronymus trigesima 4. distinctio. ca. uidua. l. Vulgo. ff. De statu homi. Matris uerò uel auiæ (quoniam semper sunt certæ) non est cur denegetur spurijs successio. l. Ex libera. c. De suis & legiti. l. Quia semper. ff. De in ius uocan. Glos. in cap. Cùm pridem. §. Personæ uerò. De renuntiatio.

De quinta & ultima specie liberorum, qui Incestuosi, nepharii, & adulterini dicuntur.

LIBERI incestuosi, ex cognatis: nepharij, ex descendentibus: Adulterini, ex adulterio nati: parentibus utriusque sexus succedere non possunt. l. Si adulterium. in princ. ff. Ad legem Iul. de adul. l. Quinetiam. ff. De ritu nuptia. §. Ergo non omnes. Instit. De nuptijs. Adeò enim infames, turpes'que existimantur, ut omnium bonorum, dignitatum maximè ecclesiasticarum incapaces existant. c. Consanguineorum. 3. Quæstio. 4. l. Fratres. c. De inoff. testa. l. Generaliter. §. j. ff. De decurio. c. Cum in cunctis. iuncto cap. Innotuit. De electione. Quinimo alimentis non censentur digni iure ciuili. §. fi. suprà Quib. mod. natu. eff. sui. 15. quæsti. ulti. c. Cùm multæ. & 32. quæsti. 4. c. Dicat aliquis. Sed pontifices in hoc mitigarunt duritiem summi iuris: nempe quòd iniquum sit, infantem à deo creatum fame necari. c. Cum haberet. De eo qui dux. in uxo. quam poll. per adul. Et quamuis simplicem donationem accipere prohibeantur, alimentorum tamen prætextu, illis relinqui potest l. j. c. De natu. libe. d. c. Cum haberet. Sed ita, ne alimentorum (quia respectu personæ qualitate prestantur) modum excedat; alioqui quod suprà esset, seu fraudulentum inutile iudicaretur. l. Si quis à liberis. §. Denique. ff. De lib. agnos. Bar. in Nouell. Ex complexu. c. De incest. & inut. nuptijs. Cùm etiam id quod non excedit, ut uult Loriotus, post mortem sit restituendum alimentorum instar, quæ morte finiuntur. Nicolaus ab Vbal. in tractatu success. Vlpia. in l. Cùm ij. §. Modus. ff. De transac. Vnde subsequens est, dotem filiæ spuriæ concessam illa mortua esse restituendam, sicut & eo casu, quo aliunde uictum habere posset: tunc enim & si per xxx. annos dotem possedisset, eam nihilominus restituere tenetur, siue bona fide non possederit, quo casu nunquam præscribit, siue bona fide possedit, siquidem, quod ad usucapio. attinet, iuris error prodesse nunquam potest. Vbal. in citato tractatu success. Barto. in consi. 119. c. Possessor. de reg. iur. in 6. Vlp. in l. Nunquam in usucapionibus. ff. De usucapio. Veruntamen à marito quandiu constat matrimonium, dos illa, cùm ipsam ex onerosa causa habeat, repeti minime potest, nisi præter alimentorum modum, mulieris conditionem non ignorans dotem acceperit: tunc nanque in fraudem uidetur data, & sibi imputare debet, qui cum huiusmodi matrimonium contraxit. Bart. in l. fi. §. Si à socero. ff. De his quæ in fraud. idē in l. si gener. ff. De his quib. ut indignis. Vnde secus esset si ignorans nuptias contraxisset. c. nuper. De dona. inter uir. & uxo. c. 2. De coniug. seruo. Sed iam satis dictum est de successione descendentium; nunc de ascendentium eodem ordine 11. Regu.

ordine differamus.

De succeßione aſcendentium.

Si igitur defunctus deſcendẽtes non relinquat quidem hæredes:pater, aut &c.

DEficientibus deſcendentibus, qui ſui hæredes dicuntur, uocantur ad ſucceſsionem aſcendentes omnes, hoc eſt, parentes utriuſque ſexus ſecundum graduum prærogatiuam, ut ſcilicet, qui in eodem & proximiore gradu erunt, præferantur cæteris excluſis, & non in capita, ſed in ſtirpes æqualiter ſuccedunt, ut hac Nouell. conſtit. cernere licet. Illud tamen hîc obſeruandum eſt, tot eſſe ſpecies aſcendentium, ſiue parentum, quot diximus eſſe deſcendentium, filij enim & parentes ſunt correlatiua, & correlatiuorum eadem eſt natura. l. ſi. iuncta glo. C. De indicta uidui. toll. Dic ergo quinque eſſe ſpecies parentum: puta naturales & legitimi, legitimi tantùm, naturales tantùm, parentes ſpuriorum, & parentes inceſtuoſorum ac nephariorum. Primùm de naturalibus & legitimis parentibus differamus.

De ſucceßione parentum naturalium & legitimorum.

11. Regu. PARENTES naturales & legitimi, quorum ſucceſsio (ut iam diximus) ſecunda poſt liberos eſt, ſuccedunt liberis ſuis pręcæteris omnibus cognatis, ſiue filij de quorum ſucceſsione quæritur, ſint in poteſtate, ſiue ſint emancipati, nec pater hodie præfertur matri ut olim. Vlpi. in l. 2. ff. Ad Tertyl. ſed cùm in eodem gradu ſint, æqualiter admittuntur, & ſi alter tantùm ſuperſit, auo auia que & reliquis ſecluſis, ſolus uocabitur. Gloſſa in Nouel. Defuncto. in uerbo gradus. C. Ad Tertyl. Vtroque uerò defuncto, aui & auiæ, tam paterni quàm materni, ſed in ſtirpes, ſuccedunt: adeò ut auia materna, ſi ſola ſit, tantum habeat, quantum auus paternus, & auia paterna. ut hîc in §. noſtro. Hæc reg. intelligenda eſt, de bonis filij mortui aduentitijs: nam in illis quæ à patre ſunt profecta, aut à matre, uel per lineam paternam aut maternam, pater excludit matrem: & contrà mater patrem, teſte Bar. in l. Quod ſcitis. §. Sin autem. C. De bonis quę liberis. Et in Nouella Itaque. C. Commu. de ſucceſs. Accedit §. 1. Inſtit. Per quas perſo. nob. acqui. Quæ enim, inquit Iuſtinia. inuidia eſt, quod ex patris occaſione profectum eſt, hoc ad eum reuerti? Et hæc ſententia uerior eſt quicquid rixetur Bald. Hæc regu. certis quibuſ

quibusdam casibus locum non habet. Primus est in usufructu aduentitij peculij.l.Si quis.§.Sin uerò.c.Ad tertyll.Nam filius, uel castrense peculium habet, aut quasi castrense. Et hæc duo peculia propria adeò filius habet, ut nec illa post patris mortem conferre teneatur. Vlpi.in l.j.§. Nec castrense.ff. De coll.bono. cùm nec illorum usus fructus patri fuisset quæsitus.l.Cùm oportet.c.De bonis quæ libe.Habet & filius peculium profectitium, in quo,cum à patris bonis dicatur profectum, præter administrationem filius nil habet, sed post patris mortem inter hæredes est diuidendum.§.Sancitum.Instit. Per quas perso.no.acqu. l.Certum.c.Famil.hercisc. Est & quartum, quod dicitur ex eo aduentitium, quòd fortuito adueniat.§.j.Instit. Per quas perso. nob.acqui.& huius proprietas etiam olim patri acquirebatur.l. Placet.ff.De acqui.hæred. Hodie uerò usumfructum duntaxat consequitur.d.l.j.iuncta l. Cum oportet. Imo nec illum habet si uel pater remiserit, uel si incestas nuptias contraxerit, uel bona sua dissipauerit,aut unà cum filio in fratris sororisúe hæreditate succedat.d.l.Cum oportet.§. Sin autem res.§.j.suprà De incestis & nefarijs nupt.§. Quia uerò quædam.infrà Vt nulli iudi. l.Si quis.c.Ad Tertyll.& hîc in hoc §.Idem est,si filio acquirere uolenti non consenserit, uel èa lege aliquid filio ita donetur, ut insolidum illud percipiat.l.fin.in fi.c.De bon.quæ lib. Vt liceat matri & auiæ.suprà in princ. Sed & si filius emancipatus esset, in præmium emancipationis, pater, non dominij eorum dimidiam partem,sed usus fructus solùm retinet.d.l.Cùm oportet.§. Cùm autem.in hoc igitur usufructu, non solùm patrem matre potiorem credidit Loriotus, uerùm etiam auum paternum: illi enim ratione potestatis, perinde ac patri debetur.d.l. Si quis. c.Ad tertyll.citato §.Cùm autem in uerbo maiores.

SECVNDVS casus est, in lucris nuptialibus, in quibus parens ille,à quo prouenerunt,ut sit quisque ad dotandum pronior, cæteris præfertur.l.2.iuncta l. Quod scitis.c.De bon.quæ lib. Quinimo æquum est non solùm in illis lucris, sed & in quibuscunque alijs bonis illum anteponi, à quo prouenerunt ut tradit Mathexill.in tractatu succes.Quod & in trāsuersis,quibus non ita, ut ascendentibus debetur hæreditas, obseruari solet.l. De emancipatis.§.Exceptis.c.De leg.hæred.Idem dicendum est in peculio profectitio, in quo idcirco pater præfertur,quòd ab illo proueniat.§.j.Instit.Per quas perso.nobis acqui.

TERTIVS casus est, quando frater, uel soror, ex utroque latere coniuncti, aut etiam illorum filij supersunt, unà cum pa-

tre & matre defuncti, non in stirpes, sed in capita æqualiter succedunt. §. Hoc itaque. supra Vt frat. filij. & hic in uer. si uerò. Exceptis unius fratris aut sororis filijs, qui in stirpes duntaxat succedunt. §. Cum filius. Instit. De hæred. quæ ab int. defe. d. §. Hoc itaque. Et hæc uera sunt, non solùm quando frater uel soror, cum patre & matre, aut altero illorum concurrunt, uerùm etiam quando cum auo, aut auia alijs'ue superioribus. Glos. penult. d. Nouell. Defuncto. Nonnulli tamen contendunt fratres istos omnes præter patrem aut matrem, ascendentes excludere: ea sola ratione moti, quòd fratres, cum proximioribus tantùm concurrere soleant. d. uers. Si uerò. Hoc tamen §. illorum sententia communi interpretum suffragio & calculo explosa est: Mortuo enim patre & matre, proximior auus dicendus est, cùm illum nemo antecedat. Vlpi. in l. 2. §. Hæreditas. ff. De suis & leg. hæred. Succedant igitur aui cum fratribus in capita: adeò ut si duo proaui, duæque proauiæ paternæ existerent, & unus maternus, unà cum isto fratre, in sex portiones diuidenda est hæreditas, quæ aliàs fratre illo non superstite, in duas tantùm diuideretur, proauo materno tantum consequente quantum omnes alij paterni. §. Consequens. Hac Nouell. constit. Mathe. in d. tract. succes. Sæpe etenim contingit nos alieno beneficio multa consequi posse, quæ nostro habere non possumus. l. fi. ff. Ad s. c. Tertyll. cum similibus. Quoties igitur concurrunt isti fratres cum ascendentibus, nunquam parentes aliquem usumfructum sibi uendicare possunt: ut hîc. Quod in parentibus maternis est intelligendum: nam paterni ratione potestatis quam habent etiam in liberorum uita, usumfructum habent, quem sua morte tantùm, non liberorum perdere possunt. l. j. c. De bonis mater. §. Finitur. Instit. De usuf. Marcell. in l. Si quis Titio. ff. De leg. 2. Sed hîc in dubium uocari potest, si supersint pater, auus, & frater, & pater repudiet, an auus perinde cum fratre admittatur, ac si pater non extaret? Et respondet Mathesillanus in tracta. succes. non admitti: paria enim sunt repudiare, & mortuum esse, aut nunquam fuisse. Argu. l. unic. §. c. Quando non pet. par. petc. accres. Vlpia. in l. 2. §. Si sit consanguinea. ff. Ad Tertyll. Proinde frater, uel soror ex altero tantùm latere proueniens, licet olim etiam cum ascendentibus concurret, l. Si quis in principio. c. Ad Tertyl. hodie tamen à quocunque ascendente excluditur, nisi is, qui defuncti frater est, eius quoque filius esset, qui defuncto uult succedere. Exempli causa: Si quis relicta tantùm matre, & uterino fratre decesserit: Qui matris ex alio marito filius est, hunc Paul.

Castr.

Caſtr.in d.Nouell. Defuncto, cenſet unà cum matre ſuccedere debere. Sed Loriotus iure dubitat, cùm magis aſcendentibus, quàm tranſuerſis debeatur ſucceſsio, & ſi in eodem gradu exiſtant, uel etiam in remotiore. Vnde frater utrinque coniunctus, qui in ſecundo gradu eſt, licet cum patre, qui eſt in primo gradu, concurrat: non tamen auum, uel proauum, quamuis in tertio gradu ſit, excludere ſolet.d.Nouell. Defuncto, cum Gloſ. Sed cum ſuprà diximus, filium fratris utrinque coniuncti cum defuncti patre concurrere, an idem in illius fratris nepote dicendum ſit? Et uno ore atque conſenſu negant omnes, hunc nepotem huiuſmodi beneficium habere. Arg.§.Neque.Hac Nouell. conſtitu. Cùm enim lex ius corrigens, de filio duntaxat loquatur, extendenda non eſt ad nepotem, qui in correctoria lege appellatione filij nunquam uenit.ſuprà Vt fratrum filij, in principio. Vlpi.in l.Quod ſi nepotes.ff.De teſta.tute.

QVARTVS caſus eſt, quando parentes filij tutelam ſine cauſa recipere recuſant. Marcel.d.l.2.§. Si mater.ff. Ad Tertyll. Nam pater quemadmodum bonorum filij in poteſtate exiſtentis legitimus adminiſtrator eſt, ita quoque & emancipati filij legitimus eſt tutor.l.j.C. De bonis maternis.Inſtit. De legit.par. tute.quam tutelam ſi excuſatione aliqua detrectet, puto eum nec hæredem filij eſſe poſſe: Legitimę etenim hæreditates, legitimarum tutelarum onus annexum habent, quod onus ſi quis extraneus, uel ex iuſta cauſa, recuſet, legato plerunque priuabitur. Vlpi.in l.j.in princi.ff.De leg.tuto.Paul.in l.Neſennius Apollinaris.ff. De excu.tuto. Vnde multò magis pater qui non adeò facilè ſeſe à tutela excuſare poteſt. Paul.in l. Amiciſsimos. §.fi.ff.eod.Sed hæc ſuo loco infrà pluribus oſtendemus.

QVINTVS caſus eſt, quando parentes, matrimonium ſecundò, tertiò, uel deinceps, contrahunt.§.Et hæc communis.ſuprà De nuptijs.Nouell.Ex teſtamento.C. De ſecun.nupt.gloſſ. rub.eo. Nam quamuis pater per ſecundas nuptias filij tutela nō priuetur, etiam ſi intra annum à morte uxoris ſecundo nuptias contraxerit, etiam filij tutela non reddita.Bal.in Nouell.ijſdem nume.8.C.De ſecun.nupt. Attamen obſtantibus his nuptijs, filio, in bonis à matre prouenientibus, non ſuccedit (nam in alijs bonis omnibus etiam in proprietate ſuccedit) quæ à coniuge illius, qui ad ſecundas nuptias conuolat, profecta ſunt.l.Generaliter.C.eo.§. Quia uerò contra binubos.iuncto §.Cùm igitur aliquando.ſuprà De non eligendo ſecun.nub. Similiter cùm contra binubos eædem ſint uiri & mulieris pœnæ, mater ſecundò

nubens in præfato tantum succedit usufructu.d.§. Quia uerò contra binubos.iuncta Nouell.Ex testamento.C.De secun.nup. Imo si intra annum luctus, uel etiam post, sed ante tutelam redditam, quando tutrix erat, secundò nupserit in nullis bonis filio succedere potest.d.Nouell.ijsdem. Sed nec alijs, nisi agnatis intra tertium gradum existentibus.l.j.in fin.C.De secun.nupt. Et hæc omnia locum habent, non solùm in matre, uel patre: sed etiam in alijs ascendentibus, qui secundas contrahunt nuptias, uel post primum matrimonium luxuriosè uiuunt ex sententia Hostiensis in summa, De secun.nupt.in §.Quare & qualiter.iuncto §.Cùm igitur.suprà De non elig.secun.nub. Cæterùm hic ultimus casus locum sibi non uendicat, si filij huic secundo consentirent matrimonio ex sententia glo.in uerbo, copulantur.§. Hæc constitutionibus.suprà De non elig.secundò nubentes. Nam cùm in illorum, ex primo matrimonio natorum fauorem priuetur secundò nubens, illis consentientibus nulla fit iniuria. Vlpia.in l.j.§.usque adeò.ff. De iniur.idq; etiam pluribus uerbis testatur Aristoteles lib. Ethico.5.cap.9.& 11. Sed & si filius nullis fratribus, aut sororibus relictis decedat, quamuis uiuo illo parens secundò nupserit, nihilominus in omnibus bonis succedet.l.Fœminæ.in fin.C.De secun.nupt. Certi enim ac explorati iuris est parentem secundò nubentem, omnibus filijs, sine liberis præmorientibus, succedere debere, modo testamentum non fecerint.§. Hoc autem.suprà De non elig.secun.nube.nam scripti hæredes matri, cui legitima relicta fuit portio, semper præferuntur.l. Quandiu.2.ff.De acqui.uel omitt.hære. Et hæc recepta sunt quoad parentum naturalium & legitimorum successionem.

De successione parentum legitimorum tantùm.

Regu.13. PARENTES legitimi tantùm, aut sunt adoptiui, aut Arrogatores: Parentes adoptiui, si eos quos adoptauerunt, in potestate habeant, ueluti si consanguinei sint, puta nepotes ex filia, perinde succedunt, ac si essent naturales & legitimi parentes.§. Sed hodie.Instit.De adopt.l.penul.§.Si uerò pater.uersi.eiq; acquiratur.C.eod.titu. Si uerò illos in potestate non habeant, illis tunc minime succedere possunt: ut in d.§. Sed hodie.iuncta l. Cùm in adoptionibus.§. Sed ne articulum.C.eo.Quare de matre uel auia quæritur frustra, quoniam neque adoptare possunt, neque liberos in potestate habent.§.Fœminæ.Instit. De Adop. l.Matrem.C.eo. Verùm cùm de correlatiuis idem soleat esse iudicium

dicium per text.in l.fin.c.De ind.uidu.toll. cur adoptiuus pater ei, quem in poteſtate non habet, non ſuccedit: cùm uice uerſa, filius ille, & ſi in poteſtate non ſit, ipſi patri adoptiuo, ab inteſtato etiamſi alij ſuperſint naturales & legitimi hæres ſit? Bologninus in additio. ad Mathexilla.doctè ac ingenioſè reſpondet, patrem teſtamentum facere poſſe in quo huiuſmodi filium præterire licet.d.l.penult.§. Sed ne articulum.unde cùm teſtamentum non facit, tacitè uidetur illum unà cum reliquis ab inteſtato ſuccedere uelle.l.Conficiuntur.in princ.ff.De iur. Codicill. At contrà cùm filius adoptiuus, quoniam in patris naturalis remanet poteſtate, teſtamenti factionem non habet, unde cùm hæredem legitimum, nimirum naturalem patrem, qui poteſtatis cauſa legitimus eſt, habere debet.d.l.penulti.§. Sui autem.l. Qui in poteſtate.ff.De teſta.tute.§.fi.Inſtitu. De legitima agnatorum ſucceſs.

PARENTES arrogatores liberis arrogatis, modò puberes deceſſerint, non aliter ſuccedunt, quàm naturales & legitimi parentes.§. Mortuo.Inſtit.De acqui.per arroga. Nam cùm puberes deceſſerint, teſtamentum in caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus bonis facere poterant.§.fin.Inſtit.De mil.teſta. Nam non faciendo tacitè uidentur illos ſuccedere uoluiſſe.d.l. Conficiuntur. Quæ ratio ceſſat in arrogato impubere, cui ideo ſuccedunt hi, qui uocarentur, ſi facta non fuiſſet arrogatio.§.Cùm autem impubes.Inſtit. De adopt. Sed quid ſi quis patrem naturalem, & matrem, item legitimum patrem habens deceſſerit? Matheſillanus in d.tractatu ſucceſs.exiſtimauit matrem pro dimidia bonorum parte admittendam eſſe, duos uerò patres pro alia dimidia. Bologninus uerò contrariam eſt ſecutus ſententiam in d.tractatu ſucceſsio.credidit que eos æqualiter ſuccedere debere. Loriotus tamen putat matrem ſemper pro dimidia admittendam eſſe: illi enim ex patrum facto præiudicium adferri non potuit. Argu.titul. De ſucce.feud.in princ.& De alie.feud.pater.in prin.in uſibus feudorum.Sed cum patrem qui defunctum in poteſtate habebat, in alia dimidia ſuccedere.d.l. De emancipatis cum ſimilibus. Ratio in promptu eſt. Nam ſi illa poteſtas hoc operatur, ut filius patri ſuccedere debeat.§.j.Inſtit. De hæred.quæ ab inteſta.defe.& uice uerſa operabitur, ut filio pater ſuccedat, ſi pubes deceſſerit. Arg.d.l.fi.cum ſimilibus.c.de ind. uidui.tolle. Regu.14.

De ſucceßione parentum naturalium tantùm.

Regu.15. PARENTES naturales tantùm, ita succedũt liberis ex concubinatu, sicut liberi talibus parentibus succedere suprà ostendimus. Nam eadem est inter eas relatio iuris. §. De nepotibus. suprà Quib.mo.natu.eff.sui.l.Nam & si parentibus.ff.De inoff. testa. Quòd si pater & mater in bonis filij naturalis concurrant, ille in duabus uncijs, hæc in x. Si naturalis filius, neque legitimam uxorem, neque filios legitimos habeat. §. In quibus casibus.iuncto §. Si quis autem defunctus.suprà Quib.mod.natu. eff.sui.§.fin.Instit.De Tertyll.etiam si sint illustres matres. Arg. l.Si qua illustris.c. Ad Orfic.& l.fin.c.De ind.uidu.tolle.Licet Glos.in §.fin.Instit. Ad Orfic. absque ratione contrarium affirmauerit: tametsi uice uersa illustri matri, non semper succedant naturales filij: hoc enim non in matris odium sed legitimorum fauorem constitutum fuit.

De successione parentum ex damnato coitu.

Regu.16. PARENTIBVS non datur ulla successio liberorum ex damnato coitu, sicut nec talibus liberi succedunt parentibus: alimenta tamen parentibus æquitate canonica secundum ea quæ suprà declarauimus, præstare oportet. §.fin.suprà Quib.mod. nat.eff.sui.c.cùm haberet.De eo qui dux.in uxo.quam per adul. pollue. Adeò autem inter istos parentes & liberos prohibetur successio, ut nec legi municipali contrarium disponenti standum sit. Barto.autore in l. Testamenti factio.ff.De testa. Imperator enim obstat, quominus tale introducatur statutum. §.penul.suprà Quib.mod.natu.eff.sui. Mater tamen eadem ratione spurijs succedit, qua spurij succedunt matri, ut suprà ostendimus: nisi filij spurij, liberos ex se reliquerint, qui matrem excludunt. Caius in l. Hac parte.ff.Vnde cog.Vlpi.in l.Siue ingenua.§.Liberi.ff.Ad Tertyll. Hactenus de parentum successione: superest ut de collateralibus, quorum tertia est successio post descendentes & ascendentes, differamus.

De successione transuersorum: & primò fratrum naturalium & legitimorum.

Si igitur defunctus neque descendentes neq; ascendentes reliquerit, &c.

SIQVIS decesserit nullis relictis descendentibus, neque ascendentibus, tunc uocantur ad successionem fratres & sorores

rores utrinque coniuncti, fratrum sororum'que liberi. Memineris autem & hîc quoque tot esse fratrum species, quot diximus esse filiorum & parentum: quare de singulis nominatim & ordine differamus. & primùm de naturalibus & legitimis simul.

FRATRES defuncti naturales & legitimi succedunt æqualiter in capita, secundum numerum personarum, ut in hoc §. uidere licet. Succedunt etiam sorores utrinque coniunctæ, etiamsi ab eorum patribus dotatæ fuerint, nec dotem illam conferre tenentur, tametsi ad collationem obnoxiæ essent, si de patrum ipsarum successione ageretur. l. j. cum glos. fin. C. De leg. hæred. iuncto toto titu. ff. De coll. dot. Nec refert item, an unus fratrum qui succedit, emancipatus sit, & alter in potestate. l. j. C. Commu. de success. l. De emancipatis. C. De leg. here. Animaduertendum est autem, fratrum utrinque coniunctorum filios, non solum, ut diximus, fratribus ex altero parente coniunctis præferri, uerùm etiam patruis ipsius defuncti. Vt frat. fil. in princ. suprà iuncto §. illud palam. Hac nouella constit. Regu. 17.

FILII fratrum quoties concurrunt cum defuncti fratribus, uel sororibus, succedunt in stirpes loco patris sui præmortui. ut in hoc §. Si igitur. uers. Sin autem defuncto. Quod tamen non ultra fratrum filios conceditur. ut hîc in §. huiusmodi uerò. Regul. 18.

MAGNVM inter iuris interpretes certamen fuit, est'que etiamnum, ut clarissimus ille senator Parisiēsis Andreas Tiraquellus latè docet, in commentarijs quos scripsit de utroque retractu, in Pictonum consuetudines, Vtrum filij fratrum, soli & sine patruis succedant in capita, an in stirpes ueniant? Hæc quæstio Cimmerijs prope tenebris obscurior est, magnisq; testibus res ita agitur, adeò ut caussa non solùm uocibus, uerumetiam ratione ponderanda sit, ut cognoscant lectores utra earum numero, an solida potius ratione uincere debeat. Nam in capita iure eos succedere tradidit Azo huius opinionis ueluti Antesignanus in summa C. De leg. hæred. & Accur. ipsius discipulus, nec eo magistro indignus, in §. Hoc etiam. in uerbo superstites. Inst. De leg. ag. success. & in l. 2. §. Hereditas. in uerbo in tres partes. ff. De suis & leg. hæred. qui tamen alijs in locis contrariam est secutus sententiam, ut suo loco ostendemus. Et alter Azonis discipulus Roffredus in titu. De bono. poss. Vnde cognati. §. ultimo. & Hostiensis in summa. titu. De success. ab intestato. §. Viso igitur. Vbertus aut, ut alij uocant, Obertus Bob. in Nouell. cessante. C. De leg. hære. prout ab alijs citatur, nec enim eius opera extant: in hac etiam sententia fuit, & Albericus in d. Nouell.

Si plures ad successionem patrui ueniant filij fratrum, uel sororum soli, an in stirpes, an uerò in capita ueniant.

Regul. 19.

uell.Cessante.qui asserit Oldradum etiam hanc secutum fuisse. Guid.Suz.in quibusdam reportatis ut uocant,& Cyn.& Bald. in l.j.§.ulti.ff. Si pars hæred.peta.Iacob.But.Bald.qui hanc dicit esse magis consonam literæ & naturæ,licet cõtrariam in consulendo sequutus sit.& Saly.in d.Nouell.Cessante.& in nouella,Post fratres.c.De leg.hæred.qui hanc dicit solidioribus, & fortioribus argu.fundatam.Iaco.Bel.in c.fi.in fin.titu. De natu. succeß.feud.Iaco. Ardiz.in summa titulo De succeß.feud. Martin.Laud.in c.j.De grad.succeß.in feud.Bened.Capra consi.xxj. & 104.in primo dubio,Angel.Areti.in §.Cum filius. Instit. De hære. quæ ab intesta.defe.ubi hanc dicit esse ueriorem De iure, quamuis si casus acciderer,uereretur discedere ab opinione Glo. Bart.& Bald.qui contrariam approbarunt sententiam propter immensam eorum authoritatem.Fortu.Garti.in repetitione legis Gallus.§. Idem credendum.ff.De libe.& posth.ubi hanc latißimè doctißimeq; defendit Vlda. Zazius in suis singul.iuris intell.ubi hanc multis adamantinisq; rationibus fulcit ac tuetur. Atq; iterum in epitome feudorum parte 8.in 6.conclu. Vbi dicit hanc in Germania seruari: & approbatam fuisse constitutione Caroli.v.imperatoris in eam edita in conuentu imperij. Ferra.Monta.in commen.Institut.Titu.De hæred.quæ ab intе. defe.in uerbo,non in capita, sed in stirpes.in fine.ubi dicit eam constitutionem editam fuisse anno domini,1529.in comitijs Spirensibus qua Carolus quintus imperator uindicata & asserta iuris ciuilis aperta definitione sanxit filios fratrum inter se partiri hæreditatem patrui in capita, non in stirpes. Iacob.Spiegell.in lexico iur.ciuilis, in uerbo,in capita succedere.& illustrißimus Senator regius in curia Burdigalensi Ferron.legalis nostræ Reipub.ornamentum ac decus,in commẽtarijs quos scripsit in consuetu.Burdiga.hanc quoque suo suffragio approbarunt Bulga. & Rayne.Forl.ut posteris scriptum reliquit Bald.in c.j.in prin. tit.De succeß.feudo.& in c.j.tit.De natu.succeß.feud.ubi affirmat omnes qui fuerunt ante Accur.hãc opinionem secutos fuisse. Loriotus etiam in commentarijs quos scripsit in titu.ff. De gra.aff.& nomi.eo. Vbi achilleis plane argumentis hanc comprobat,contrariæq; sententiæ argumenta argutè dissoluit.Eguinarius Baro , uir nostra ætate non contemnendus , in commentarijs Institutio.in titu.De legitima agna.succeß. Et nouißimè , doctißimus Franciscus Balduі.tam in commentarijs in hanc nouellam legem & alias præcipuas, quàm in institutiones editis.eamq; uerißimam esse cẽtumuiralis curia Parisiensis Aresto

resto & s.c.declarauit anno 1519.nec erubuit rescindere contrariam cuiusdam sui s.c.quod ante 8.annos temerè pronuntiarat, sententiam,eiusq; errorem agnoscere.hanc ego sententiam cum tantis uiris numero, fateor, inferioribus, sed meo iudicio ratione superioribus, amplector: ut hi fratrum filij soli non in stirpes, sed in capita succedere debeant: hoc enim aperte testantur iurisconsultorum responsa, imperatorum constitutiones, nec non ipse Iustinianus. Vlpi.in l.Post consanguineos.§. Hæreditas.ff.De suis & leg.hæred.idem in l.j.§.fin.ff.Si pars hære.peta. l.penult.circa finem.C.De leg.hæred.§. Hoc etiam.in fine.Insti. De leg.ag.succefs. Quare saniores mihi uidentur Graeci interpretes,quibus in mentem non uenit confictæ illius correctionis commentum.neque enim putauit Theophilus clarissimus Iustiniani interpres,in patruelibus aliquid esse immutatum.Neque etiam Harmenopilus qui simpliciter lib.5.titu.8.tradit eos in capita, non in stirpes succedere: quorum scripta magni facio, quòd pure tractarint puram solidamq; iurisprudentiam , quæ aliorum postea commentis admodum fuit inquinata. Quid ergo? uno uerbo in hac nouella constitutione reposito tot ueterum opiniones correctas affirmare audebimus? proculdubio temerarium erit,cum etiam hæc constitutio repugnet:nam loquitur in casu quo fratrum filij, cum patruis uocentur. Vbi igitur soli erunt, ius antiquum remanet incorrectum, ut scilicet, ibi in stirpes, hîc in capita succedant; manifestam affert Lorio.rationem differentiæ, quoniam ubi cum patruis ueniunt, quia uno tantum gradu sunt remotiores, non ex persona sua, sed patrum suorum, qui cum patruis in eodem gradu erant, succedere dicuntur: non igitur plus consequi possunt, quàm patres eorum habituri erant.d.§.Cum filius.suprà Vt fratrum filij. Vbi igitur soli erunt, & sine patruis, tunc omnes ex sua persona uocantur, nec patres repræsentant cùm inter illos nulla consistat suitas: unde necesse est eos æqualiter hæredes esse. Aliud est in descendentibus, inter quos prioribus deficientibus perpetua est suitas, & antecessorum repræsentatio.ut hîc in uersi.ita demum. Quoniam illis magis quàm cæteris naturali uoto debetur hęreditas.l.Scripto.in fine.ff.Vnde cognati.

AT sunt multò plures alterius sententiæ, ut scilicet ij succedant in stirpes, puta ipse Accur.sibi contrarius in Nouell. Cessante.C.De legi.hære.& ibi quoque Dynus,Iaco.Areti.Petrus, Cynus sibi quoque contrarius, Guil.à Cunno, Ioannes Faber, Barto.qui dicit hanc fuisse ex opinionibus, in quibus Accurs.

primùm desciuit à maioribus, illumq; in hanc partem consuluisse. Bene Plumbin. & Angelus, qui dicit opinionem Azonis de iure antiquo securiorem esse, sed hanc de iure nouo procedere & in praxi obseruari. Paul. Castrē. Rapha. Fulgo. & Corneus qui & hanc dicit tanquam communem in decisionibus tenendam in d. Nouell. Cessante. Speculator, Ioann. Andr. & Bal. hîc, ut aliàs sæpe sibi male constans in titu. De success. ab intestato. §. i. uersi. Sed an filij. & sequenti, ubi & ipse. Speculator asserit Alber. Gali. idem tenuisse. Dynus in tractatu success. ab intest. Martin. Lauden. & Cardi. Alexan. titul. De success. fratrum, siue de grad. success. in feudis. Imola, & Cardi. Florenti. qui hanc dicunt communiter approbari. Ioannes de Platea & Christoph. Porcus Insti. De legiti. agna. success. Ioannes Fabr. in §. Cæterùm. Instit. eo titu. Vbi hanc quoq; dicit communem Mathesillanus in tracta. success. Ludouic. Bologninus in additionibus ad d. tractatum. ubi ita dicit se consuluisse. Nicola. Vbald. in simili tractatu. Petrus Ferra. tit. Forma libelli pro hærede ab intestato. Alexan. atq; consilio 55. cuius initium est, Prospectis his. lib. 4. & consilio 29. lib. 5. ubi & hanc asserit communem, nec ab ea in iudicando esse discedendum. Franc. Aretin. consil. 164. Diligenter Guido Papæ Decisi. Delphi. 134. Sed qualiter. ubi dicit non esse ab hac in iudicando recedendum. Iason consi. 173. Circa primum. lib. 4. Philip. Deci. qui & hanc dicit esse communem in l. Nepotibus. C. Vnde leg. Guill. Bene. in c. Raynutius. in uerbo, & uxorem nomine Adelasiam. De testa. Stepha. Bertr. in l. Hac ædita li. C. De secun. nupt. ubi & hanc dicit esse communem. Iacob. à sancto Georg. in tractatu feudo. in uerbo, presentes. Franc. Curtius iunior in simili tracta. Boërius latè consil. incipiente, An filij duorum fratrum, quod consilium posuit post Dynum de regu. iur. in 6. Rochus Curt. in tractatu De iure patronatus. Chassaneus consilio 47. Olden. in commentarijs legum XII. tabula. & nouissimè And. Tiraquell. in commentarijs quos scripsit in consuetudines Pictonum de utroque retractu in hanc uidetur descendere sententiam, ubi παράδειγμα à natura ipsa profectum nec omnino contemnendum, subijcit:

Regu. 20. SI fratres germani extent cum fratribus, uel sororibus consanguineis, uel uterinis defuncti: tunc fratres utrinq; coniuncti, excludunt alios. §. Quia uerò hoc. suprà De cōsan. & uteri. fratr. Germani autem fratres, ut id obiter dicamus, dicuntur ex utroque parente: & isti agnati sunt, sed quoad successionem, olim ab his qui tantùm consanguinei sunt, nihil differebant: & ideo

nomina

nomina cognationis non augent. Consanguinei autem sunt, qui eodem tantùm patre, non etiam ex eadem matre, nascuntur: & isti agnati sunt. Vterini uerò dicuntur qui eandem tantùm matrem habent, sed diuersum patrem, & isti sunt cognati: ob idq; iure tantùm prætorio succedebant. §. Exceptis. Instit. De success. cog.

VBI sunt fratres consanguinei, uel ueterini unà cum filijs fratrum germanorum defuncti, ibi præferuntur filij fratrum, & licet in tertio gradu sint, & fratres consanguinei, uel uterini in secundo: quod tamen ius non egreditur filios fratrum, ut hîc in §. Sin autem defuncto fratres. Regul. 21.

FRATRES consanguinei soli, uel uterini soli, succedunt æqualiter, & in capita: filij autem præmortuorum in stirpes ut hîc in §. Illud palam. Regul. 22.

SI defunctus habeat tam consanguineos, quàm uterinos fratres, fortè etiam quorundam præmortuorum filios: tunc uidendum est, quænam sint bona defuncti: nam in bonis paternis, hoc est, quæ ex linea paterna ad eum peruenerunt, fratres consanguinei præferuntur. Et ex diuerso, in bonis maternis, uterini præcedunt: in reliquis uerò bonis, utriusque generis fratres simul succedunt æqualiter, filij uerò præmortuorum in stirpes. d. §. Quia uerò hoc agere. l. De emancipatis. C. De legitimis hæredibus. Regul. 23.

CVM neq; fratres defuncti uiuunt, neque filij fratrum, tunc omnes deinceps à latere cognati ad hæreditatẽ admittendi sunt, obseruatis gradibus, ut proximi præcedant, pares simul admittantur in capita: reiecta prorsus masculini & fœminini sexus, item agnationis & cognationis differentia. §. Si uerò neque fratres. Hac Nouell. constit. Regul. 24.

De succeßione fratrum legitimatorum.

FRATRVM legitimatorum, eadem est succeßio quæ naturalium & legitimorum, de qua iam dictum fuit. Cęterum ipsi inter se inuicem sibi non succedunt, sicut nec reliqui ex cognatione legitimati. Quod diligenter obserua. §. Filium uerò. suprà Quib. mod. natu. eff. sui. Regul. 25.

De succeßione fratrum legitimorum tantùm.

FRATRES legitimi tantùm, si ab auo fuerunt adoptati, succedunt sibi quoque mutuo. Sin autem ab extraneo adoptentur, quanquam parentis adoptiui succeßionem habeant, ut suprà Regul. 26.

ostendi: ipsi tamen inter se & ad totam adoptiui familiam, nullum succedendi ius adquirunt.l.Cùm in adoptiuis.§. Sed ne articulum.c.De adopt.Fratres autem legitimos seu adoptatos,neminem puto tam stultè interpretaturū, ut opinetur posse quenquam loco fratris adoptari.id enim cum natura pugnaret, quoniam ex se nemo gignat fratrem: sed ita sunt accipiendi fratres, ex sententia Oldendorpij, si ab uno eodemq; adoptentur patre loco filiorum.l. Nec apud.c.De Hæred.insti.§.Minorem.iuncto §. Et tam filium.Instit.De adopt.

De successione naturalium tantùm.

Regu.27. FRATRES naturales tantùm,siue consanguinei ex eodem patre, siue uterini ex eadem matre, succedunt sibi mutuo: nisi fratres naturales & legitimi, hoc est, ex iusto thoro nati, consanguinei uel uterini simul extent, qui illegitimos excludunt. Ratio in promptu est, quia nec legitimi per oblationem curiæ naturales,acquirunt successionem agnatorum,uel cognatorum parentis.d.§.Filium uerò. Nec obstat quod dicitur in §.ulti.Insti. De seru.cognat. quòd fratres & sorores licet capite diminuti debeant cognatis præferri. Nam non pertinet ad naturales tantùm, seu illegitimos.

De successione fratrum spuriorum, nephariorum, & incestuosorum.

Regul.28. FRATRES spurij ex eadem matre,sibi succedunt inuicem: secus de his qui ex eodem patre sunt, puta si quis ex duabus meretricibus filios suscipiat.§. Vulgo quæsitos.Institu.De succeß. cogna.l.2.iuncta l. Si spurios.ff. Vnde cogna. Ratio diuersitatis est. Nam omnem succeßionem oportet esse legibus adiutam, aliàs non recipitur.Sed spurij, quatenus ad patrem attinet, prorsus reijciuntur.§. Si aduersus ea.Instit. De nupt.§.si uerò effusa.suprà Quib.mod.natu.eff.sui.

Regul.29. FRATRVM incestuosorum, & qui ex damnato ac uetito coitu procreantur, nulla plane succeßio est, ut suprà pluribus ostendimus: imo nec quicquam ex testamento illis relinqui posset, tametsi quilibet extraneus institui posset.Mathesilla.in tractatu succeß.l.Extraneum.c.De hæred.institu.

VBI neque liberi, neque parentes supersunt: ibi respiciendum est ad gradus reliquorum cognatorum.Modesti.in l. Non facile.in princip.ff. De gra.affi.& nomini.eorum.definit septimum gradum, quatenus, inquiens, extra eum ferè gradum re-

rum

rum natura cognatorum uitam consistere non patitur. cui uidetur subscribere Vlpia. in l. j. §. Hæc autem bonorum possessio. ff. Vnde cogna. Sunt tamen qui existimant succesionem usque ad x. gradum porrigi in cognatis. Glos. in Nouell. in succesione & ibi Bar. & Ioan. Fabri. c. De suis & leg. hæred. Bald. & alij doctores in l. Certum. c. Vnde legit. Azo in summa. c. De leg. hæred. Petrus & Cynus in l. Cum rem alienam. c. De lega. Iason in l. Exigendi. c. De procu. Andr. Tiraquell. in commentarijs quos scripsit, De utroque retractu.

SI defunctus neque liberos, neque parentes, neque ullos cognatos habeat prædicti gradus, quod utique rarius fuerit: tunc succesio ad coniuges deuoluitur iure ciuili: ut scilicet uir uxori, & uxor uiro succedat. l. j. c. Vnde uir & uxor. Veruntamen ut hæc succesio locum sibi uendicet, iustum debet esse matrimonium. l. j. ff. Vnde uir & uxor. Vnde concubinatus, aut meretricium, succesionem hanc excludit: similiter sponsalia, non præsentia sed futura. c. in illis. De desponsa. impu. lib. 6. Debet item mortis tempore esse matrimonium. d. l. j. Vnde si fiat thori separatio, ille, cuius culpa facta erit, non aliter succesione hac priuabitur, uel etiam uterque, si utriusque adsit culpa: si neutrius (ueluti cum ob castitatis mutuum uotum sese separant) neuter ab alterius hæreditate excluditur, præterquam in feudo, in quo neuter alteri unquam succedere potest. Arg. l. Si ab hostibus. §. Si uir uxorem. cum Glos. ff. Solu. matri. Vbald. & Mathes. in tractatu succes. Et doctores in l. j. c. Vnde uir & uxor. Addit Vbaldus in d. tractatu, uxorem si intra annum luctus secundò nuberet, succesione priuari. Verùm cum hæc sit inter maritum & uxorem mutua succesio posítque maritus intra annum secundò matrimonium contrahere, non putarem cum Lorioto Vbal. sententiam procedere posse: cùm correlatiuorum ibi diuersa non subsit ratio, & eadem sit natura. c. j. An maritus succedat in feudo. d. l. j. ff. Vnde uir & uxor. l. uxores. ff. De his qui not. infa. Proinde aduertendum est hodie, quòd si matrimonium sit absque dote, & alter coniugum præmoriens locuples sit, alter superstes pauper, hic unà cum liberis communibus, aut alterius matrimonij, in quartam partem, si tres aut paucio-res, uel pro uirili, si plures sint, admittitur: quod latius ac fusius à doctoribus explicatur in l. fin. c. De indict. uidui. toll. Regul. 30.

PRAEDICTIS omnibus deficientibus, bona censentur uocantia, & fisco cedunt. c. De bon. uacan. lib. x. Extant titu. De hæredibus decurionum. Et si liberalitatis imperialis socius

ſine hærede deceſſerit,lib.x.C.De quibus ut multa dicamus,reor extra forum eſſe.

De ſucceßione autem clericorum eſt tit.in iure Pontificio.

De Succeßione ab inteſtato.

IN ſucceſsionibus ab inteſtato, qui gradus ſanguinis fuerit proximus, is ad ſuccedendum quoque proximum locum tenet. l.Auunculo.C. Communia de ſucceſs. Quæ regula in aſcendentibus & deſcendentibus plana eſt: ſed in cognatis ex latere, qui aliàs eiuſdem lineę & ordinis,aliàs in diuerſa linea ſunt:item in filijs præmortuorum, qui patris ſui locum uendicant ſæpe non obtinet. Imò nonnunquam cognatus remotioris gradus, excludit remotiorem, ut declarat Iuſtini.in §.Repetitis itaque. Inſtit.De ſerui.ſucceſs.

Regul.31. SERVI olim ſucceſſorem ab inteſtato, præter dominum non habebant.l.Seruus.& l.Ancillæ.C. Commu.de ſucceſs.l. Quod attinet.ff.De regu.iur.Sed hodie totum hoc, abolita tam pręduraa & inclementi ſeruitutis forma,prorſus immutatum eſt: & poſſunt teſtari omnes, qui nunc imaginem ueteris ſeruitutis repræſentant, ut maximè agricolæ, ſeu ruſtici noſtri temporis, pro diuerſitate tamen locorum.

Regul.32. AFFINITATIS iure nulla ſucceſsio permittitur.l. Affinitatis.C.Commu.de ſucceſs.quid? eſt'ne iam dictum maritum uxori ſuccedere? eſt quidem, ſed uir & uxor coniuges ſunt, & cauſam præſtant affinitati, non ipſi affines ſunt. Vnde Modeſtin.in l. Non facile.ff.De gra.affi.& nomi.eorum. Affines, inquit, ſunt uiri & uxoris cognati, non autem dixit uir & uxor. Oldendor.

Regul.33. VBICVNQVE locum habere poteſt ſucceſsio ex teſtamento: ibi ceſſat inteſtati quæſtio. Vlpi.in l.Quandiu.ff.De acqui.hæred.l. Antequam.C.Commun.de ſucceſs. Is qui naturæ beneficium ſpectat,oportet,ut ſecũdum naturam ſit gratus:ideo ſunt quædam cauſæ ex quibus liberi poſſunt à parentibus exhæredari, & contrà parentes à liberis.§. Iuſtum autem proſpeximus.ſuprà Vt cùm de appell.cognoſ. Sunt item nonnullæ quæ ſufficiunt ad excludendos cognatos.§. Ingratudinis.ſuprà De nupt. Si quis ergo tam oblitus omnis pietatis, ut ſic delinquat aduerſus aliquem ſanguine coniunctum: is neque ab inteſtato poteſt ad ſucceſsionem eius peruenire, ſi talis cauſa probata fuerit.

VERVM hîc referamus casus, quibus succedentes ab intestato hæreditariæ successionis incapaces reperiuntur. Imprimís si maximam, aut mediam capitis diminutionem passi sunt, ut in metallum damnati, uel deportati.l.j.c.De hæred.institu. Relegati uerò siue in perpetuum, siue ad tempus, & omnia bona sua (nisi per sententiam specialiter auferantur) retinent, & filios in potestate habere non desinunt.l. Deportatorum.c. De pœnis.l.Relegatorum.§. Ad tempus.l.4.ff. De interdict.& relega. Et istis qui hoc tempore proscribuntur, ab interpretibus æquiparari solent: nisi esset in certum locum relegatio perpetua: illa nanque deportatio est.l.j. De iure fisci lib.x.c.l.Exilium. iuncta l.Relegatorum.§.Hæc est.ff.De inter.& relega.

SECVNDVS, casus, si quis criminis læsæ maiestatis reus inuentus fuerit, filium sibi hæredem habere non potest, neque nepotem, siue legitimum, siue illegitimum.l.Quisquis.§.j.c. Ad leg.Iuli.maiesta.alij tamen agnati, non fiscus succedere debent: quoniam illius delinquentis filios duntaxat ab hæreditate fecit alienos, ex sententia doctorum in d.l. Quisquis.§.j. Vnde cùm filij hæredum nominibus indigni sint, fiscus repellitur, qui aliàs non succedit, nisi is cui aufertur hæreditas, hæredis nomen habeat.d.l.Quisquis.§.Ad filias.l.His consequenter in princ.ff.famil.ercisc. Ratio est, propterea quod ob alienum delictum auffertur, fisco applicare non oportet.l.Eam quam.c. De fideicom.

TERTIVS, qui hæreticorum fautor est, atque defensor, nequeintra annum pœnituit, ipso iure incapax existimatur, tametsi alio excommunicato, & si per annum in excommunicatione permanserit, lex hæredi non auferat.c.Excommunicamus.§.credentes.De hære.c.Decernimus.De sentent.excommu.in 6.

QVARTVS casus, monachi qui paupertatem uouerunt, & Diui Francisci regulam sunt amplexi omnium bonorum fiunt incapaces, etiam si post professionem episcopi, uel Cardinales efficerentur.Clemen. Exiui de paradiso.De uerbo.sig.Glos. in uerbo mendicantium.cap.Quorũdam.De electione.in 6.alij uerò religiosi non prorsus sunt incapaces, nam res immobiles uendere possunt, & sibi ipsis necessitatis tempore subuenire: imo regulares canonici communia inter se bona, sed non unicuique propria, habere possunt.Glos.in uerbo domum.c.j. De relig.domi.in 6.c. Non dicatis.12.quæsti.j.l.Deo nobis.c. De episcop.& clericis.Iustin.tamen in hac Nouell.constit.nullum probat discrimen, aut sexus, aut ætatis, aut conditionis: adeò ut Monachus intestato patri succedat iure ciuili. Sed hodie moribus

bus noſtris quaſi capite diminutus ciuiliterque mortuus repellitur cuiuſcunque ſit ordinis. teſtis locupletiſsimus eſt Guilher. Benedictus in cap. Rainutius. in uerb. & uxorem nomine Adelaſiam. nume. 249. De teſta. Quam conſuetudinem non eſſe contra libertatem eccleſiæ, ualidiſsimis rationibus probat Barto. quem conſule conſilio 35. Et fortaſsis habent aliunde ſatis monachi. certè olim apud Iudæos non ſuccedebant leuitæ, nec ullam poſſeſsionem habebant, quod & alteri uiuerent, & pollicitus erat dominus, ſe partem hæreditatis eorum fore.

QVOD autem diximus, religioſos quoſdam eſſe non prorſus incapaces, fallit in Ciſterſenſibus, qui neque in communione quicquam retinere poſſunt. c. Recolẽtes. De ſtatu mona. Quę omnia à iuris pontificij interpretibus diffuſius explicantur in Cleme. profeſſores. De regulari. cum ſimilibus.

MVLTA ex his quæ ſuprà diximus, diſplicuerunt ciuitatibus, uel quòd non ſatis intelligerent, uel quòd nimis dura quædam exiſtimarent: ideoque mirum in modum hanc ſucceſsionis inteſtatæ materiam per ſtatuta ſua uariarunt, quæ utique cum ad rempub. aliquam perueneris, facilè perluſtrare poteris, ut ſequaris: niſi naturæ nimis repugnent. Porrò hæc quæ hactenus diximus, ferè pertinent ad ordinem iuris, quem ignorare non oportet, iuxta elegantiſsimam legem, De quibus. ff. De legibus.

Singularia quædam ſucceßionis in Feudis.

HAEC ſucceſsio in feudis propriè ad cauſam inteſtati pertinet, quoniam cliens ſeu uaſallus in ultima uoluntate de feudo diſponere non poteſt, etiam ad pias cauſas. c. unico. in princi. De ſucceſs. feud. & ibi Bald. iuncto c. j. §. Donare. Qualiter olim feud. alie. poter. c. Imperialem. De prohibi. feud. alie. per Fede.

HODIE tamen non ſolum in hoc regno ex generali conſuetudine, uerumetiam citra montes liberum atque integrum eſt cuilibet, de huiuſmodi bonis, non ſecus quàm de rebus hæreditarijs teſtari poſſe: quæ conſuetudo ualida ac firma eſt. Ex ſenten. Bald. in citato c. cuius ſententiam ſequitur Iaſon in l. De quibus. & ibi Gloſ. ff. De leg. Panor. in conſi. 3. in 2. uolu. Guilh. Bene. in cap. Raynutius. in uerbo, duas habens filias, nume. 70. De teſtamen.

IN feudi autem ſucceſsione duo ſunt ordines. Primus eſt deſcendentium, hoc eſt, liberorum. Secundus, tranſuerſorum ſeu collateralium. Nam ex natura & conſuetudine feudorum aſcendentes non ſuccedunt in feudo. c. j. De natu. ſucceſs. feud. Guilh.

Benedi.

Benedi.rationem affert in d.cap.in uerbo, & uxorem nomine Adelasiam.quoniam successio, inquit,ascendentium non est de iure naturali, sed ciuili & mere politiuo, quod lege municipali, uel statuto tolli potest. In descendentibus uerò,aut sunt fœminæ, aut masculi ex fœminis, ut nepotes ex filiabus: & tunc liberi fœminini sexus, uel masculi quidem, sed per lineam fœmininam descendentes, non succedunt in feudis.nisi si inuestitura, hoc est, concessio illa solennis per quam feudum conceditur,facta sit nominatim ut filiæ succederent. Quo tamen casu non aliter succedunt, quàm si nullus extet masculus: semper enim filij excludunt fœminas propter armorum expeditionem.c.j.§. Filia uerò.De success.feud.c.j.§.Ad filias uerò.De success.fratr.d. c.unico.De natu.success.feud. Aliàs perpetuò excluduntur fœminæ, etiam si inuestitus pater esset pro se suis'que hæredibus. Cùm in materia feudo.uerbum (hæres) solum pro filio masculo accipiatur, & non pro filia, nec pro extraneo hærede.c.j. De alie.feud. Et ita de facto consultus Ludouicus respondit consil. j.cuius initium est, Visis in facto.Hodie tamen ex generali consuetudine regni Franciæ,fœminæ unà cum masculis promiscuè & indifferenter succedunt in feudis, ut testatur Io. Fabri in Nouell.Ingressi.c. De sacro sanct.eccles. ubi ait, feuda in regno Franciç ad instar patrimoniorum redacta esse.& in titu.De leg. patro.tut.in fine.cuius sententia probatur per text.in c.significauit.secundum intellectum Hostiensis, quem ibi refert & sequitur Panor.De rescript.in princ.& in c.Dilecto.in prin.De testa. Guido Papæ quæsti.69.qui etiam asserit, ita seruari in patria Delphinatus.& idem in quæstio.134.imo etiam in feudo appellatione suorum hæredum, non solum uenire in hoc regno filias uerumetiam quoscunque alios extraneos hæredes: quemadmodum in rebus hæreditarijs ex sententia Guido.Papæ in Quęst. 230.in quorum sententiam pedibus descendit Guilh.Bene.Gallica.rerum peritissimus,in c.Raynutius.in uerbo,duas habens filias.nume.67.extra De testa. Aut descendentes sunt masculi, & illi omnibus alijs præferuntur, secundum ea quæ suprà de reb.hæred.dicta sunt.hoc est, filij naturales & legitimi masculi succedunt in feudis, paternis, antiquis & nouis, æqualiter iure repræsentationis seruato.hoc est, ut nepos loco sui patris præmortui succedat.c.j.De success.feud.c.j.De success.fratr.ubi definitur paternum feudum, quod fuit illius parentis qui est eius agnationis communis,hoc est, à quo uelut communi stipite cœpit ea agnatio.Sic antiquum est,quod maiores quoque in eadem

familia habuerunt. Nouum uerò, quòd in persona mortui clientis beneficiarij primum cœpit. Liberi legitimati per subsequens matrimonium, nec soli, nec cum alijs legitimis liberis, admittuntur. c. j. §. Naturales filij. Si de feudo contentio sit inter domi. & agnatos uasalli.

LIBERI naturales tantùm, multominus succedunt in feudo: cùm nec legitimatis detur locus. Minime ergo aut spurij, aut ex damnato coitu progeniti possunt peruenire ad feudorum successionem. Et hæc succedendi puritas in militaribus illis beneficijs, multum confert ad ingenuitatem, quæ nobilibus nostro seculo rectissimè tribuimus iure gentium. Qui propterea nuncupantur ingenui, nobiles & gentiles homines, ut nunc quoque in Italia: quoniam maiores eorum illibatam seruarint natiuitatem, & nunquam seruitutem seruierint: item immaculato ac legitimo thoro quoque nati sint. nec certè ista sunt somnia, ut quidam phanatici putant, confundentes iura personarum.

LIBERI legitimi tantùm seu adoptati, non succedunt in feudis. c. j. §. Adoptiuus. Si de feudo defun. contentio sit inter dominum & agnatos uasalli. In feudis Marchiæ, Ducatus, uel comitatus non est omnino locus successioni: sed per inuestituram ab imperatore denuo huiusmodi feuda recipiuntur à liberis & agnatis. c. j. De alien. feud. & c. j. De feudo mar. uel duca. uel comi.

ASCENDENTIVM ordo ad successionem, ut suprà diximus, in feudis planè non admittitur. peculiariter enim in his per usum sic recipitur, ne superiores succedant inferioribus, ut pater filio, auus nepoti. Sed contrà tantùm inferiores superioribus.

De successione collateralium.

SECVNDVS ordo est collateralium, qui admittuntur descendentibus non superstitibus, & agnati duntaxat admittuntur ad successionem feudorum non etiam cognati. c. j. §. Ad filias uerò. De succes. fratr. Quod intellige de feud. pater. uel antiq. d. c. j. §. His uerò deficientibus. Nam in nouis beneficijs, frater uel filius fratris non succedit: sed feudum reuertitur ad dominum. c. j. §. In alio uerò. De success. feudi. c. j. De bene. fratr. & qual. fra. in bene. frat. succe. ubi traduntur aliquot exceptiones huius regulæ. Et animaduerte hîc, quòd ista consuetudo accedat ueteri Romanorum iuri, in excludendis cognatis fœminini sexus. Durat autem hæc successio in feudis in infinitum usque, hoc est, quandiu

diu aliquis extiterit, natus ex primo acquirente.c.unico. De natu.succefs.feud.

ILLVD denique nullo modo eft ignorandum: quòd fiquis bona habeat feudalia & non feudalia, ut uulgatis uocibus utar, fœmina à feudis fecluſa, utique ad alia parentis admittitur, ut ſunt pecuniarij reditus, nomina, ueſtes, ac reliqua ſupellex.ut uult Oldendorp.cui pleraque referimus accepta.

Ex his autem quæ de hæreditate diximus.

SEcundum caput huius nouellæ legis eſt, quod ad Tutelas legitimas pertinet. Dicitur autem legitima tutela, quæ à lege XII.Tabul.defertur, quoties nullus eſt teſtamentarius tutor: uerba legis hæc ſunt:

TVTORES LIBERIS IN POTESTATE, TESTAMENTO PARENTES DANTO.

SI NON SINT DATI, AGNATI QVI SVCCESSIONEM SPERANT, TVTORES SVNTO.

VLPIANVS in l.legitimos tutores.ff.De leg.tuto. Defertur autem hęc tutela legitima proximioribus ab inteſtato uenientibus, nulla neque hac in parte differentia introducenda, per agnationis & cognationis iura, ſed omnibus, qui impuberem uel maſculino uel fœminino genere contingunt, ex æquo ad tutelam uocandis: quoniam ij qui in illis bonis ſucceſsionem habere ſperant, tueri ac conſeruare illa bona debent.l.Iuriſconſultus. ff.De gra.aff.& nomi.l.j.in princi.ff. De leg.tutor. Hæc, inquit Vlpianus, ſumma prouidentia; ut qui ſperarent hanc ſucceſsionem, ijdem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Profectò hanc prudentiæ rationem, ciuiliter & urbanè metitus eſt Vlpian.ex utilitate pecuniaria. Cæterùm uera ratio ex lege naturali colligenda eſt: quia ſcilicet agnatus cùm proximum ſanguinis & ſucceſsionis locum teneat, natura exigit ab eo, ut pueri quoque tutelam ſuſcipiat, etiamſi nulla ſint eius bona. Nam Tutela, autore Seruio, eſt uis atque poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit: iure ciuili data, ac permiſſa. Vnde appellantur Tutores, quaſi tuitores, ac defenſores perſonæ potius, quàm bonorum.l.j.ff. De tute.§.j.Inſtit. eo. Vnde ſi ſint plures uenientes ab inteſtato eiuſdem gradus,

quia omnes succedere debent, quando æque sunt proximi, ad omnes simul hæc tutela deferri solet. Caius in l. Si plures sint agnati. ff. De legi. tutor. Nisi propter sexum, uel ætatem, aut morbum excusentur: ut mulier, impubes, surdus, & mutus. l. Agnato propior fœmina. ff. eod. minus autem audiens potest. l. fin. ff. eo. Cæterùm non uult Iustinian. ita prorsus omnes mulieres à tutelis submoueri quin admittat matrem & auiam, nam has, etiam postpositis omnibus agnatis cognatisque admittit: modo S.C. Velle. & secundis nuptijs renuntient, ut hîc. Verùm uolentes tantùm, cùm alij sint necessarij tutores, si excusationem non habeant, Instit. De excus. tutor. in princi. sed si tutrices esse nolint, tutorem saltem idoneum petere coguntur. l. 2. §. Si mater. ff. Ad Tertyll. Cæterùm de nuptijs melius aliquando iudicarit Iusti. Nam in nouella constit. 84. cùm matrem tutricem esse uellet, cui aliqua obligatio cum filio esset: statuit ne ullum ab ea iusiurandum exigeretur de non iterandis nuptijs. Illud postremò hîc subijcit, ut si plures eodem sint gradu cognati, qui ad tutelam ueniant: unus ex ijs deligatur cui administratio incumbat. Nempe interest pupilli per unum tutelam administrari: idque etiam olim prætori curæ fuisse scribit. Vlpi. in l. 3. §. Apparet. ff. De admin. tutor. Cæterùm quid de his ueteres leges statuerint, paucis aperiamus. Legitimi autem tutores ex uarijs legibus uocantur, & ex legibus ex quibus uocantur tutelæ legitimæ onus accipiunt. l. 2. §. fin. ff. Vnde legiti. l. Nec lucrum. C. De cur. furio. Primo ex uerbis & mente legis XII. Tabula. quæ agnatis proximioribus tutelam defert, & illa dicitur legitimos tutores fecisse. Instit. De leg. ag. succes. in princ. Vlpia. in l. legitimos tutores nemo dat. ff. De leg. tuto. Sed eos tantùm, quos ad legitimam hæreditatem uocat, agnatos uidelicet. l. j. in princip. ff. eod. quorum hæreditas sicut olim minima capitis diminutione auferebatur, ita & illorum legitima tutela: hodie uerò neutrum tollitur. l. Tutelas. §. Sed legitimæ. ff. De capi. diminut. l. 2. & 3. §. non solùm. ff. De leg. tut. l. 4. C. De leg. tute. Alij præter agnatos legitimi hæredes non nominatim à lege X I I. Tabul. sed in consequentiam hæreditatis per alias leges sunt legitimi tutores. Instit. De leg. patro. tute. Sic cognati hodie, quia ut agnati succedunt, ita & tutelam recipiunt, ut hîc, quæ ne minima capitis diminutione tollitur, quia cognatio nomen naturale est. §. Quos autem. Instit. De cap. dimi. Sic pater si filium uel nepotem emancipet, sicut ad emancipati bona admittitur, ita & illius tutor fit legitimus. l. j. in princi. ff. Si à parente quis manu. fuerit. Insti. De

leg.

leg.parentum tute. Sed contrà, imo legitimi tantùm tutoris uicem sustinet.d.l.j.in fine. Aliter Accurs.aliter Barto.respondit. Sed neuter, iudicio Lorioti rectè. Ait igitur Loriotus, eum legitimum dici tutorem, qui & ipse legitimus quoque hęres esset. d.l.j.in princi. Pater autem emancipans olim filij emancipati legitimus hæres non erat, & per consequens nec legitimus tutor. l.Tutela.§. Sed legitimæ.ff. De capi.dimi. Sed ipse extraneus manumissor iure ciuili & succedebat, & tutor erat Theophi.in §.Tertio loco.Instit. De bono.possess.iure tamen prætorio, illi extraneo manumissori per bonorum possessionem Vnde x.personæ pater præferebatur.§.Quę autem.Insti.eo.Et tunc non legitimus erat tutor, quia per illam bonorum possess.non fiebat hæres, sed possessor tantùm, ob quam bonorum possessionem uicem legitimi tutoris sustinet.§. Quos autem.Insti.eo.l.3.ff.De leg.tuto. Non obstat, quòd frater quoque extraneo manumissori præferatur.d.§. Tertio loco. Vnde uidetur uicem tutoris legitimi sustinere debere, perinde ac pater. Respondeo, cùm pater ex ipsa manumißione statim filio suo emancipato tutor sit, uicem legitimi tutoris sustinens, hìc frater non potuit nisi uicem patris, uice legitimi sustinere.§. Et prætereà si impubes.Institu. Quib.mod.ius patriæ potestatis soluitur.d.l.3.in fi.Olim tamen pater emancipans etiam iure ciuili legitimus hæres erat, si contracta fiducia emancipasset.l.2.§.Obijcitur.ff.Ad Tertyll.& per consequens legitimus erat tutor.Instit. De legi.paren.tute. Dicitur autem contracta fiducia filium emancipare, quando specialiter legitima iura sibi reseruaret: & non per pactum, quia pactum de succedendo nullum est: sed ut per fiduciam pudore aliquo (ut olim in fideicommißis) legitima iura patri relinqueret, ob id'que fiduciarius hæres diceretur.l.fi.c.De eman.libero.l.stipulatio hoc modo concepta.ff.De uerbo.obliga.Instit.De fideicom.libert.in princ.l.Seius Saturninus.ff.Ad Trebell.Hodie uerò pater emancipans semper contracta fiducia emancipare intelligitur, & per consequens semper est & legitimus hæres & tutor.§.fi.Insti.De leg.agna.succeß.iũcto §.Nostra autem.in prin. & in uersi.fin.Institu. Quib.mod.ius patr.potesta.soluitur.si hic pater legitimus tutor impuberis emancipati moriatur, ipsius filius maior fiduciarius tutor emancipati erit.l.4.ff. De leg.tuto. Nec obstat quòd imo fratris legitimus tutor sit.l.Aduersus.c. De exceptio. Quia id uerum est, quando frater proximior est hæres legitimus, ubi autem pater emancipat, frater non est proximior sed ipse pater.§.fi.Instit.De cap.dimi.l.j.§.Liberos.ff. Si

à parente quis manu.fuc. Porrò Iustia.non solùm fratris emancipati, sed & filij mei à patre meo emancipati me fiduciarum tutorem facere uidetur.Institu. De fidu.tute.uersi.quo defuncto. Postea rationem subiungit,cur filius patroni non sit fiduciarius tutor liberti, sicut filius emancipatoris; quia,inquit,filius patroni eadem iura habuisset in libertum, si manumissus non fuisset, quæ habebat patronus.Institu. De fidu.tute.uersi.atqui eo.iuncto uersi.libertus eo.Hæc Iustinia.ratio iure à Lorioto reijcitur, cùm pater fratrem meum emancipat: quia si ille emancipatus non fuisset, licet meam legitimam tutelam, quæ ratione legitimæ hæreditatis mihi defertur, incidisset tamen in meam potestatem, non recidisset, & per consequens nec in tutelam,quæ ratione dissolutæ potestatis prouenit: qualis patroni, uel patris tutela.l.Tutor.uersi.nec dissimilem.ff. Ad Velleia.l.3.uersi.ergo.ff.De leg.tuto.Instit.De leg.parent.tutela. In filio uerò meo ab ipsius auo emancipato prædicta ratio cessat: quoniam filius meus si emancipatus non fuisset,in potestatem meam recidisset, & per consequens in tutelam legitimam, cuius uim in eum quoque emancipatum habere debeo, cum illi succedam, licet fratri olim emancipato non successissem.Instit.Quib.mod.ius patriæ potesta.solui.in princip.d.l.4.in fine,& l. Aequissimum.§. Si ex filio.ff.Ad Tertyllia.l.j.§.Liberos.ff.Si à par.quis man.fue. Propter hanc difficultatem Glos.in uerbo atqui.Instit.De fidu.tutela.Insti.tribus modis interpretatur,sed falso. Et ideo Haloandri lectio manifestè docet fratrem tantùm tutorem fiduciarium esse posse;uerùm Theoph.Inst.De fidu.tute.fiduciarium tutorem tam fratrem, quàm patrem & patruum appellat: si emancipator legitimam semel emancipati tutelam habuerit.Cuius authoritas ob id defendi potest, quòd sicut in legitima hæreditate successioni locus nõ est,ita nec in legitima tutela iam suscepta.§.Placebat.Instit.De leg.agna.succes.d.l.3.à contrario sensu.§.non tantùm.ff.De leg.tut. Sed si emancipator legitimam tutelam nunquam habuisset,olim pater uicem legitimi sustinebat, d.l.3.in fine.Hodie tamen tam ille,quàm frater, uel patruus,legitimi sunt tutores.l.4.C.De legib.tute.

SCHOLIA IN HVIVSCE NOVELLAE SIMPLICEM INTERPRETATIONEM, QVALIA TENVES BREVESQVE NOTAE ADFERRE POSSVNT.

Plurimas & diuersas leges.) Veteres iuris successionum ab intestato, multas uarias que ambages copiosè descripsimus suprà in Historia iuris emendati, ex cuius lectione plurimas & diuersas fuisse leges ueteribus temporibus promulgatas, nullo negotio disces.

Per quas non iuste differentia.) De huiusmodi differentia successionis ab intestato, quæ uetustissimo iure obseruabatur, inter agnatos cognatosq́; lege etiã Historiam iuris emendati, ubi hæc pluribus uerbis explicatur.

Itaq; prioribus legibus pro hac causa positis. &c.) His uerbis Iustinia. uidetur apertè detrahere uelle prioribus legibus, easq́; corrigere, & nouam formam ac normam attribuere successioni intestatæ hac constitutione. Casus tamen speciali lege limitati, per hanc nouam legem & generalem non mutantur. l. Bona militis. ff. De ueterano. & mili. succes. l. Si quis incesti. c. De incestis nuptijs. Ratio in promptu est: quia lex noua generaliter loquens ad ueterem specialiter loquẽtem non extenditur. l. Sciendum. cum Glos. in princ. ff. Qui satisdare cogantur. Præterea hæc lex noua differentiam agnationis & cognationis tollens, usque ad quem gradum uocentur agnati uel cognati nihil disponit. Vnde hoc respectu antiqua iuris dispositio supererit: similiter antiqua feudorum successio obseruabitur, cùm lex generalis ad illam nunquam extendatur. c. j. §. Si generali. Si de feudo fuerit controuer. inter domi. & agna. Et eo maximè, ubi specialis est antiqua feudorum successio.

Quia igit̃ omnis generis ab intestato successiõe.) Quemadmodum testandi causa, ex uoluntate relinquentis bona sua dependet: ita successio ab intestato tres gradus habet, puta, Descendentium, Ascendentium, & Transuersorum: ne tota cognatio irruat in bona defuncti.

Si quis igitur descendentium fuerit.) Primùm quidẽ Iusti. hîc statuit, primo loco succedere debere liberos omnes,

quocunq; ſint gradu, nulloq́; ſexus diſcrimine, & ſiue emancipati fuerint, ſiue in poteſtate. Sed uetus lex. XII. Tabu. emancipatos filios à ſucceſsione (ut ſuprà pluribus oſtendimus) reijciebat. Quare inter ſuos & emancipatos hodie nulla uidetur eſſe differentia, ſaltem ab inteſtato: idq́; communi interpretum ſententia receptum eſt in l. Gallus Aquilius. §. Et quid ſi tantum. ff. De libe. & poſthu.

Cuiuslibet naturæ aut gradus.) Iuſtini. his uerbis addit inter liberos nullum quoque eſſe diſcrimen gradus: ſed illud tantum ſeruari, ut in ſtirpes ſuccedatur, ſi nepotes aut alij inferioris gradus ad ſucceſsionem uocentur: ut non niſi eam portionem conſequantur quam eorum parens, ſi fupereſſet, conſecuuturus erat.

Si igitur defunctus deſcendētes quidem non &c.) Secundo loco Iuſtinia. hac Nouella conſtitutione uocat ad ſucceſsionem parentes, nempe ubi nulli ſuperſunt liberi. Vocantur autem parentes & ſine ullo ſexus diſcrimine, & ſiue paterni ſint, ſiue materni generis. Sed ordo ſeruatur, ut qui propinquiores ſunt, alijs præferantur. Quòd ſi eodem pari que gradu ſint, ueluti auus, auiaq́; paterna, paterni, ſimul & materni: cuique generis ſemis datur. Si pater ſit & mater: ſinguli ſemiſſem habebunt.

Exceptis ſolis fratribus ex utroque parente.) Cum parentibus, fratribusq́ue non admittit hæc conſtitutio uulgaris fratrum filios, qui tamen in Græco Haloandri codice admittuntur. πάντων ἐκ πλαγίου συγγενῶν τούτους προτιμᾶσθαι θεσπίζομεν, ἐξῃρημένων μόνων ἀδελφῶν καὶ ἀδελφοπαίδων ἐξ ἑκατέρου γονέως συναπτομένων τῷ τελευτήσαντι. hoc eſt, omnibus hoſce ex tranſuerſo cognatis præferri ſancimus, exceptis ſolummodo ex utroque parente defuncto coniunctis fratribus fratrumq́; filijs: hi enim cum gradu proximis uocantur, portionemq́; ſui parentis capiunt, quos etiam cum parentibus fratribusq́; defuncti admittendos eſſe ſanxit Nouella eiuſdem imperatoris conſtitutio 127. Quare temerè & perperam hunc articulum huic editioni uidetur eſſe aſſutum, cum in conſtitu. 127, quæ poſterior eſt Iuſtinia. ſuas leges fateatur ſe non pigere emendare. Et ne dubitemus de ea poſteriore Conſtitutio. quòd deſideretur adhuc in Græco exemplari, facit Harmenopolus: qui eius ſententiam ijs quibus ſcripta fuit, bona fide refert lib. iuris ἐπιτομῶν 5. Titu. 8. nec ſane poteſt omnino noua uideri huius rei ratio. Nam ſi ueteres conſtitutio

ſtitutiones cum matre etiam admittebant filios patrui, cur non admittat fratrum filios? Vide Baldui. in commentarijs Inſtitu.

Si autem plurimi aſcendentium uiuunt) puta, pater mater, auus auia, proauus proauia tam paterni quàm materni.

Hos præponi iubemus.) hîc etiam haud dubijs uerbis Iuſtinia. ueteres leges abrogat: quibus in ſucceſsione nepotis Auus patrem, Pater matrem, Mater auum excludebat; quibus omnibus ſuperſtitibus, cæteris auus potior erat. Hodie uerò, ut hîc uidere licet, excepto uſufructu & feudo, in quo frater, & lucris nuptialibus, in quibus illi à quibus prouenerunt admittuntur: ut pluribus ſuprà oſtendimus. Pater uerò & mater auis etiam ab alterutro excluſis (qui poſt patrem & matrem in ſtirpes tantùm admittuntur) filio ſi ſoli ſint, æqualiter ſuccedunt. Si ſit fratrer non ex altero, ſed utroque latere coniunctus, aut huius filius unà cum illis concurrit. Et tunc uult Iuſtinia. hæreditatem in capita diuidi æqualiter: quanquam ubi ſoli ſuccedunt parentes, nolit numerare capita, ſed materni ſemiſſem paternis alterum ſemiſſem dari. Nec illud prorſus nouum uideri debet, ut ex alicuius acceſsione & ſocietate mutetur ſucceſsionis ratio. Certè olim ſoror quæ cum alia ſua ſorore & matre ſuccedens, nõ niſi quadrantem erat habitura, ſi cum fratre & matre ſuccederet, trientem conſequebatur. §. penult. Inſtit. De s. c. Tertyll.

Si igitur defunctus neque deſcendentes, &c.) Hîc Iuſtinia. poſt liberos ac parentes tertio loco uocat cognatos, qui à latere ſunt: ac primùm quidem fratres utrinque coniuncti, ſimulque fratrum aliorum filij, ut hi ſaltem portionem ſui parentis conſequantur. Iis enim Iuſti. hîc tribuit ius repræſentationis, ut uulgò loquimur, quò magis cum ſuis patruis ad ſucceſsionem admitti poſsint referentes patris ſui perſonam, eiusque gradum ac locum ſubeuntes. Omittuntur etiam hîc in uulgato exemplari fratrum filij, qui in Græco tamen Haloandri adduntur. Cui potius habenda fides ſit, pronuntiare equidem non auſim. Certè Græca uidentur æquitatis ratione niti. quod conſidera. ὁμοίως δὲ καὶ ἀδελφόπαιδας, οὓς καὶ μετὰ τῶν πατέρων πρὸς τὴν κληρονομίαν ἐκαλέσαμεν.

His autem non extantibus.) hoc eſt, Si non ſuperſint fratres & ſorores, qui ex eodem patre ex eademque matre progeniti ſint. Cùm ſimiliter quoque fratrum filij, ſecundo loco illos fratres ad hæreditatem uocamus, qui ex uno parente defun-

k ctum

ctum contingunt, uel per patrem solùm, ut consanguinei, uel per matrem, ut uterini.

Theiois masculis & fœminis.) Cum simpliciter legimus θεῖον, promiscue & indifferenter possumus uel auunculum, uel patruum intelligere: ut hîc. Græci uerò ut hanc tollant dubitationem, addunt aliquam notam: ut apud Aeschinem in quadam ad Ctesiphontem epistola est ὁ ἐκ μητρὸς θεῖος, ut significetur auunculus. Apud Lucianum in somnio itidem est ὁ πρὸς μητρὸς θεῖος. Sensus ergo horum uerborum est. Si defuncto fratres superſint, & alterius fratris sororis'ue præmortuorum filij, uocabuntur hi ad hæreditatem cum patruis & auunculis amitis & materteris suis, & quotcunque tandem fuerint tam magnam ex hæreditate portionem capient, quantam percepturus fuisset pater eorum, si superuixisset.

Præponantur istius filij proprijs theiois.) Hoc est, præferantur eiusmodi filij patruis, auunculis, amitis, & materteris suis, etsi tertio gradu sint, quemadmodum & pater eorum præferretur. Quibus uerbis Iustini. aperte statuit patruum defuncti, etsi tertio sit gradu, non admitti ad successionem cum filijs fratrum: quia & filij fratrum parentes suos referunt, eaque ratione secundum gradum subire possunt, & alioqui etiam hæreditas facilius ad inferiores deuoluatur, quàm ad superiores recurrat.

Huiusmodi uerò priuilegium.) Iusti. id priuilegij in hoc cognationis ordine, solis præbet fratrum, aut sororum filijs aut filiabus, ut in iura suorum parentum succedant. Nulla enim persona ultra filios fratrum in hac collaterali successione suum repræsentat parentem. quare remotiores in gradu ut nepotes fratrum & sororum, abnepotes, unà cum patruis, auunculis, amitis, & materteris, ad successionem non admittuntur. ut hîc. iuncta Nouella post frat. frat. filio. c. De leg. hæred.

Sed & ipsis fratrum filijs tunc &c.) Hic haud dubijs uerbis uoluit Iustinia. fratrum filios in locum parentum suorum defuncto succedere uelle, quàm cum patruis, auunculis, amitis, & materteris, ad successionem uocarentur: idq; ex dictione tunc colligere licet, quæ extremitatem temporis ac punctum significat: ut pluribus docet Vdalricus ille Zasius in suis Singularibus. Cæterùm cùm nulli superſunt fratres ipsius defuncti: simpliciter iure communi ueteriq; ad successionem uocantur fratrum

trum omnium filij:ut in capita æqualiter omnes succedãt. Quod & olim prudentes responderunt, & Cæsares rescripserunt. l. 2. §. Hæreditas. ff. De suis & leg. hæred. l. j. ad finem. ff. Si pars hæred. peta. l. penult. ad fin. c. De leg. hæred.

Si autem cum fratribus defuncti.) pugnãt etiam hoc loco uulgata exemplaria cum Græcis: ut nos suprà pluribus ostendimus in §. Si cum ascendentibus.

Si uerò neque fratres.) Cum neque fratres, neque fratrum filij uiuunt, tunc omnes deinceps à latere cognati ad hæreditatem uocantur in capita, non in stirpes, obseruatis gradibus, ut proximi præcedant, pares simul admittantur: reiecta prorsus masculini & fœminini, item agnationis & cognationis differentia.

Ex his autem quæ de hæreditate diximus.) Hæc est secunda huiusce constitutionis pars, quæ ad tutelas legitimas pertinet, in qua Iustinia. statuit, ut si nullus sit testamentarius tutor, legitima tutela proximis quibusq; deferatur eo ordine, quo ipsi ad successionem uocantur: quia plerumque ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. Institu. De leg. patro. tute.

Nulla neque in hac parte differẽtia introducẽda.) Olim soli agnati & hæredes & legitimi tutores erant, ex l. x i i. Tabula. Verùm hodie cognati, quia ut agnati succedunt: ita & tutelam recipiunt, quæ nec minima capitis diminutione tollitur. §. Quos autem. Instit. De cap. dimi.

Si masculi perfectæ ætatis sint.) Hoc est maiores 25. annis. Nam inciuile est, eos qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab alijs reguntur, aliorum tutelam uel curam subire. §. Item si maior. Institu. De excusa. tuto. uel curato.

Et nulla lege prohibeantur) Vt muti & surdi, qui nec legitimi tutores esse possunt, cum nec testamento, nec alio modo utiliter dari possint.

Nisi mater & auia fuerint.) Quæ hodie legitimæ tutrices esse possunt, sed uolentes tantùm, cum alij sint necessarij tutores, si excusationem non habeant, Instit. De excus. tuto. in princip. modò s. c. Velleia. & secundis nuptijs renuntient. Sed de nuptijs non iterandis nullum hodie ab eis exigitur iusiurandum.

dum.§.Quia uerò multam.suprà Vt sine proh.mater & auia.

Vnum aut plures quanti ad gubernationem) Hoc est,ut unus eligatur cui administratio incumbat, ne per multos tutela spargatur. Interest enim pupilli per unum tutelam administrari. Id'que etiam olim prætori curæ fuisse scribit Vlpia.in l.3.§.Apparet. ff.De admini. tutor.

FINIS.





STEPHANI

PERRAEI AVRELIENSIS OPVSCVLVM, ÆDICTA PRÆTORIA EX LIbris Pandectarum congruo ordine desumpta continens: necnon tabulas compendiosas ex Iustinianæis institutionibus iuxta legitimum titulorum ordinem deromptas, & in tres tractatus distributas, qui numerorum collatione titulorum congruo loco accommodatorum significatiua, illustrantur: Ad dominum Olearium Rothomagensis prouinciæ præsidem illustrisimũ: Anno à Christo nato millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

PARISIIS,

Apud Guillelmum Nigrum, via Iacobæa, sub signo Rosæ albæ.

1554.

AEdicta prætoria ex libris Pandectarum congruo ordine desumpta per Stephanum Perræum Aureliensem, AD Dominum Olearium Prouinciæ Rothomagensis præsidem illustrissimum.

De Iurisdictione omnium iudicum.

SI quis (ait prætor) id quod iurisdictionis perpetuæ causa (non quidem prout res incidit) in albo vel in charta vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit, datur in illum quingentorũ aureorum iudiciũ, quod populare est. L. 6

Quod quisque iuris in alterum statuerit, ipse eodem iure vtatur.

Qui magistratũ potestatémve habebit, siquid in aliquem noui iuris statuerit, ipse quandoq; aduersario eius postuláte, eodẽ iure vti debet. L. 1. §. 1

Si quis apud eum qui magistratũ potestatémve habebit, aliquid in aliquẽ noui iuris obtinuerit, quandoq; postea aduersario eius postulante, eodẽ aduersus eum decernetur iure. §. 2

De in ius vocando.

Prætor ait: Parentem, patronum, patronam, liberos, parẽtésque patroni & patronæ, in ius sine meo permissu ne quis vocet. L. 4. §. 1

L.2.§.2. Prætor ait: Si quis parentem, Patronum, patronã, liberos, aut parẽtes patronę, liberósve suos, eúmve quem in potestate habebit, vel vxorẽ, vel nurum in iudicium vocabit, qualiscunque fideiussor accipiatur iudicio sistendi causa.

Si ex noxali causa agatur.

L.1 Si quis eum de quo noxalis actio est iudicio sisti promiserit, prætor ait in eadem causa eum exhibere in qua tunc est, donec iudiciũ accipiatur.

De edendo.

L.4 Prætor ait: Argentariæ mensæ exercitores rationes quæ ad se pertinent edere debent adiecto die & consule.

L.6.§.7. Prætor ait: Argentario eius qui iterum ędi postulauerit causa cognita edi iubebo.

De pactis.

L.7.§.7. Prætor ait: Pacta cõuenta quæ neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatuscõsulta, ædicta, decreta principũ, neq; quo fraus eorum cuiquam fiat facta erunt, seruabo.

De postulando.

L.1.§.4. Ait prætor: Si nõ habebũt aduocatũ ego dabo.

§.13. Ait prætor: Qui lege plebiscito, senatusconsulto, ædicto, decreto, principum placito, nisi prò certis personis postulare prohibentur, hi pro alio quàm pro quo licebit in iure apud me ne postulent.

Qui ex omnibus his qui ſupra ſcripti ſunt in integrum reſtitutus non erit: §.14.

Pro alio ne poſtulent: præterquam pro parēte, patrono, patrona, liberis, parētibúſque patroni & patronæ, liberis ſuis, fratre, ſorore, vxore, ſocero, ſocro, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuignā, pupillo, pupilla, furioſo, furioſa, fatuo fatua. §.16.

De his qui notantur infamia.

Prætoris verba dicunt: infamia notātur qui ab exercitu cauſa ignominię ab imperatore, cóve cui poteſtas de ea re ſtatuendi fuerit dimiſſus erit: Qui artis ludicræ, pronuntiandíve cauſa in ſcæna prodierit: Qui in publico iudicio calūniæ aut præuaricationis cauſa quid feciſſe iudicatum fuerit: Qui furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, & fraude ſuo nomine damnatus erit aut pactus fuerit: Qui pro ſocio, tutelæ, mādati, depoſiti, ſuo nomine non cōtrario iudicio damnatus erit: Qui eam quæ in poteſtate eius eſſet mortuo genero (cum eum mortuum eſſe ſciret) intra id tempus quo elugeri virum moris eſt, antequā virū elugeret in matrimonio collocauerit, eámve ſciens qui vxorem duxerit non iuſſu eius in cuius poteſtate eſt: & qui eum quem haberet in poteſtate, eámve de qua ſupra cōprehēſum eſt vxorē ducere paſſus fuerit: Quíve ſuo nomine non iuſſu eius in cuius poteſtate eſſet L. 1

eiúsve nomine quem quámve in poteſtate haberet viua ſponſalia viuásve nuptias in eodem tempore conſtitutas habuerit.

De procuratoribus.

L. 8. §. 5 Procuratorem ad litem ſuſcipiendam datum pro quo conſentiente iudicatũ dominus ſolui expoſuit prætor ait iudicium cogam accipere.

L. 33. §. 3 Ait prætor: Cuius nomine quis actionem dari ſibi poſtulauerit, is cũ boni viri arbitratu deffendat: & ei quo nomine agit id ratum habere eum ad quem res ea pertinet, boni viri arbitratu ſatiſdet.

De negotiis geſtis.

L. 3 Ait prætor: Si quis negotia alterius, ſiue quis negotia quæ cuiuſcũque cum is moritur fuerint geſſerit, actionem eo nomine dabo.

De eo quod metus cauſa geſtum erit.

L. 1 Ait prætor: Quod metus cauſa geſtum erit ratum non habebo.

De dolo malo.

L. 1 Quæ dolo malo facta eſſe dicentur, ſi de his rebus alia actio non erit, & iuſta eſſe videbitur, iudicium dabo.

De minoribus xxv annis.

L. 1. §. 1 Prætor ædicit: Quod cũ minore viginti quinque annis natu geſtum erit, vtique quæ res erit animaduertam.

De capitis diminutione.

L. 2. §. 1 Prætor ædicit: Qui quæve poſtea quàm cum

his actum contractúmve quid sit capite diminuti vel diminutæ esse dicentur, in eos eásve perinde quasi id factum non sit iudiciũ dabo.

Ex quibus caussis maiores viginti quinque annis in integrum restituantur.

Si cuius quid de bonis diminutum erit, cum is metu aut siue dolo malo reipub.caussa abesset, siue in vinculis seruitutéve esset, hostiúmq; esset potestate, siue cuius actionis eorum cui dies exisse dicetur: Item si quis quid vsu suum fecisset aut quod non vtendo amisit est consecutus, actionéve qua solutus est ob id quod dies exierit cum absens non defenderetur, siue in vinculis esset, secúmve, agendi potestatem non faceret: Aut cum eum inuitum in ius vocare non liceret neque deffenderetur: cúmve magistratus de ea re appellatus esset, siue cui per magistratum siue dolo ipsius actio exépta esse diceretur, earum rerum actioné intra annum quo primùm de ea re experiũdi potestas erit, dabo. Item si qua alia mihi iusta caussa esse videbitur, in integrum restituam, quod eis per leges, plebiscita, senatusconsulta, ædicta, decreta principum licebit. L.1.§.1

Nautæ caupones stabularii vt recepta restituãt.

Ait prætor: Nautæ caupones stabularii quod cuiusque saluum fore receperint nisi restituãt, in eos iudicium dabo. L.1

De publiciana in rem actione.

L.1 Ait prætor: Si quis id quod traditur ex iusta causa à non domino,& non dum vsucaptum petet, iudicium dabo.

De his qui deiecerunt vel effuderunt.

L.1 Prætor ait:Si in eum locum quo vulgò iter fieret vel in quo consisteretur deiectum vel effusum quid erit,quantum ex ea re damnum datum factúmve erit,in eum qui ibi habitauerit in duplum iudicium dabo. Si vero viuet, nocitúmque ei esse dicetur, quanti ob eam rem eum cum quo agitur iudici cõdemnari æquũ videbitur,tanti iudicium dabo . Si seruus insciente domino fecisse dicetur, iudicio adiiciam,aut noxę dedam.

De seruo corrupto.

L.1 Ait prætor: Qui seruum seruámve,alienum alienámve recepisse, persuasisséve quid ei dicetur dolo malo,quo eum, eámve deteriorem faceret,in eum quanti ea res erit in duplum iudicium,dabo.

De alea lusu,& aleatoribus.

L.1 Prætor ait:Si quis eum apud quem lusum in alea esse dicetur verberauerit, dãnúmve ei dederit,siue quid eo tempore dolo eius esse subtractum dicetur,iudicium non dabo.

De relligiosis, & sumptibus funerum.

L.2.§.2. Prętor ait:siue homo mortuus,ossáve hominis mortui in locum purum alterius,aut in id sepulchrũ in quo ius nõ fuit, illata esse dicẽtur,

qui

qui hoc fecit in factum actione tenebitur, & pœnæ pecuniariæ subiicietur.

De mortuo inferendo, & sepulchro ædificando.

Prętor ait: quo, quáve illi mortuũ inferre inuito te ei ius est, quominus illi, eò, eáve mortuũ inferre, & ibi sepelire liceat, vim fieri veto. L. 1

Prætor ait: Quo illi ius est inuito te mortuum inferre, quominus illi in eo loco sepulchrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto. §. 4

De iureiurando siue voluntario, siue necessario, siue iudiciali.

Ait prætor: Si is cum quo agetur conditione delata iurauerit: L. 3

Eius rei de qua iusiurandum delatum fuerit, neque in ipsum, neque in eum, ad quem ea res pertinet, actionem dabo. L. 7

De constituta pecunia.

Ait prætor: Qui pecuniam debitã constituerit: L. 1

Si appareat eum qui constituit, neque soluere, neque fecisse, neque per actorem steterit quominus fieret quod constitutum est. L. 16. §. 2

Commodati vel contra.

Ait prætor: Quod quisque commodasse dicetur, de eo iudicium dabo. L. 1

Quod cum eo qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

Ait prætor: In eum qui emancipatus aut exhæredatus erit, quíve abstinuerit se ab hæreditate L. 2

eius,cuius in poteſtate, cùm is moritur, fuerit, eius rei nomine,quæ contracta cum eo fuerit, cùm is in poteſtate eſſet,ſiue ſua volũtate, ſiue iuſſu eius,in cuius poteſtate erit, contraxerit, ſiue in ipſius peculium, ſiue in patrimonium eius,in cuius poteſtate erit, ea res redacta fuerit,actionẽ,cauſa cognita,dabo in id quod facere poteſt.

De peculio.

L.1.§.2 Verba ædicti talia ſunt: Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum erit.

Quando de peculio actio annalis eſt.

L.1 Prætor ait: Poſt mortẽ eius,qui in alterius poteſtate fuerit, poſteáve quàm is emancipatus, manumiſſus, alienatúſve fuerit, duntaxat de peculio,& ſiquid dolo malo eius,in cuius poteſtate eſt, factum erit,quominus actio peculii eſſet, in anno, quo primũ de ea re experiundi poteſtas erit,iudicium dabo.

Depoſiti vel contra.

L.1.§.1 Prætor ait:Quod neque tumultus, neq; incẽdii,neque ruinæ, neq; naufragii cauſa depoſitum ſit,in ſimplum: earum autem rerum,quæ ſupra ſunt comprehenſæ,in ipſum in duplum: in hęredem eius, quod dolo malo eius factum eſſe dicetur,qui ſit mortuus, in ſimplũ: quod ipſius,in duplum iudicium dabo.

De ædilitio ædicto.

L.1.§.1 Aiunt ædiles: Qui mancipia vẽdunt,certiores

faciunto emptores, quid morbi vitiíve cuique sit: quis fugitiu⁹, errôve sit, noxâve solutus nõ sit: eadémque omnia, cùm ea mancipia vænenũt, palam ac rectè pronuntiato. Quòd si mãcipiũ aduersus ea vænisset, siue aduersus quàm dictum promissúmve fuerit, cùm væniret, fuisset, quod eius nomine præstari oportere dicetur, emptori, omnibúsque ad quos ea res pertinet, iudicium dabimus, vt id mancipium redhibeatur.

Si quid autem post venditionẽ traditionémq; deterius, opera emptoris, familiæ, procuratorísve eius factũ erit: siue quid ex eo post venditionem natum, aut acquisitum fuerit, & si quid aliud in vẽditione ei accesserit, siue quid ex ea re fructus peruenerit ad emptorem, vt ea omnia restituat: Item si quas accessiones ipse præstiterit, vt recipiat: Item si quod mancipiũ fraudem capitalem admiserit, aut mortis consciscẽdæ sibi causa quid fecerit, vel in arenam depugnãdi causa ad bestias fuerit intromissus, ea omnia in venditione pronuntianto, ex his enim causis iudiciũ dabimus. Hoc amplius, si quis aduersus ea sciens dolo malo vẽdidisse dicetur, iudicium dabimus. §. 2

Aiũt ædiles: ne veterator pro nouicio væneat. L. 37

Aediles aiunt: Qui iumenta vendũt, palam L. 38
rectè dicũto quid in vnoquoque eorum morbi, vitiíve sit: vtique optime ornata vendendi

causa fuerint, ita emptoribus tradãtur: si quid ita factum non erit, de ornamentis restituendis iumentísve ornamẽtorum nomine redhibendis in diebus sexaginta, morbi autem viciíve causa inemptis faciendis in sex mensibus, vel quãto minoris cum vænirent fuerint, in anno iudicium dabimus.

§.1 Si iumenta paria simul vænierint & alterum in ea causa fuerit, vt redhiberi debeat, iudicium dabimus quo vtrunque redhibeatur: Quæ de iumẽtorum sanitate diximus, de cætero quoq; pecore omni, venditores faciant.

Quod cum falso tutore authore gestũ esse dicetur.

L. 7 Prętor ait: in eum qui cùm tutor non esset, dolo malo author factus esse dicetur, iudicũ dabo, vt quanti res ea erit, in tantam pecuniam condemnetur.

De iure deliberandi.

L. 1. §. 1 Ait prætor: Si tempus ad deliberandum petet hæres, dabo.

L. 7 Ait prætor: Si pupilli pupillæve nomine postulabitur ad deliberãdum an expediat eum hæreditatem retinere, & hoc datum sit, si iusta causa esse videbitur, bona interea diminui, nisi causa cognita, boni viri arbitratu vetabo.

De Carboniano ædicto.

L. 1 Ait prætor: Si controuersia fiet an inter liberos quis sit, & impubes sit, causa cognita perinde possesio datur, acsi nulla de ea re cõtrouersia

esset, & iudicium in tempus pubertatis, causa cognita differtur.

Vt ex legibus & senatusconsultis, bonorum possessio detur.

Prętor ait: Vti me quaq; lege, senatúsve cősulto, bonorum possessionem dare oportebit, ita dabo. L. 1

De noui operis nuntiatione.

Prætor ait: In quem locum nuntiatum est, ne quid noui operis fieret, qua de re agitur, quod in eo loco, antequam nűtiatio fuerit remissa, aut in ea causa esset vt remitti deberet, factum est, id restituas. L. 20

Prætor ait: Quem in locum nuntiatum est nequid noui operis fieret, qua de re agitur, si de ea re satisdatű est, quod eius nomine cautű sit, vel per te stat quominus satisdetur, quominus illi in eo loco opus facere liceat, vim fieri veto. §. 8

De damno infecto.

Prętor ait: Damni infecti suo nomine promitti, alieno satisdari iubebo ei qui iurauerit, non causa calumniæ id se postulare, eúmve cuius nomine aget, postulaturű fuisse in eam diem, quam causa cognita statuero: si controuersia erit, dominus sit nécne qui cauebit, sub exceptione satisdari iubebo. L. 7

De eo opere, quod in flumine publico, ripáve eius fiet, in annos decē satisdare iubebo: eum cui ita nő cauebitur, in possessionem eius rei, §. 1

cuius nomine vt caueatur postulabitur, rectè eum cuius iusta causa esse videbitur etiã posſidere iubebo.
§. 2 In eum, qui neque cauerit, neque in possessione esse, neque possidere passus erit, iudicium dabo: vt tantum præstet, quantũ præstare eum oporteret, si de ea re ex meo decreto, eiúsve cuius de ea re fuit iurisdictio, quę in ea re est, cautum fuisset.
§. 3 Eius rei nomine, in cuius possessionẽ misero, si ab eo qui in possessione erit, damni infecti nomine nõ satisdabitur, simul in possessione esse iubebo eum cui non satisdabitur.

De publicanis, vectigalibus, & commissis.

L. 1 Prætor ait: Quod publicanus, aut eius familia, seu publicani vi ademerint, quódve familia publicanorum, si id restitutum nõ erit, in duplum, aut si post annum agetur, in simplũ iudicium dabo. Item si damnũ iniuria, furtúmve factum esse dicetur, iudicium dabo.
Si hi ad quos ea res pertinebit, nõ exhibebuntur, in dominos sine noxæ deditione iudiciũ dabo.

De re iudicata.

L. 4. §. 3 Ait prætor: Condemnatus vt soluat, neque eo nomine satisfaciat.
L. 5 Ab eo cuius de ea re notio est, iudiciũ dabo.

Quibus ex causis in possessionem eatur.

L. 2 Prętor ait: In bona eius, qui iudicio sistẽdi cau

ſa fideiuſſores dederit, ſi neque poteſtatem ſui faciat, neque defendatur, iri iubebo.

Prætor ait: Si Pupillus in ſuam pubertatem venerit, vel pupilla viripotens fuerit, & rectè defendantur, eos qui bona poſsident, de poſſeſſione diſcedere iubebo. L. 5. §. 2.

Prætor ait: Qui fraudationis cauſa latitat, ſi boni viri arbitratu non defendatur, eius bona poſſideri vendíq; iubebo. L. 5. §. 1.

De bonis autoritate iudicis poßidendis.

Prætor ait: Si quis cùm in bonorum poſſeſsione eſſet, quod eo nomine fructus cæperit, ei ad quem res ea pertinet, non reſtituat: ſiue quod impenſæ nomine ſiue dolo malo fecerit, ei nõ preſtabitur, ſiue dolo malo eius deterior cauſa poſſeſsionis facta eſſe dicetur, de ea re in factũ iudicium dabo. L. 9

De priuilegiis creditorum.

Ait prætor: Quod poſtea contractum, quàm is cuius bona vænierint, conſilium ceperit, fraudandi cauſa, ſciente eo qui contraxerit, ne actio eo nomine detur. L. 9

Quæ in fraudem creditorum geſta ſunt vt in integrum reſtituantur.

Ait prætor: Quæ fraudationis cauſa geſta erũt cum eo qui fraudem non ignorauerit, de his curatori bonorũ, vel ei cui de ea re actionem pare oportebit, intra annum quo experiundi poteſtas fuerit, actionem dabo: idq; etiam ad- L. 1

uerſus eum qui fraudem fecit ſeruabo.

L. 10 Ait prętor: Quę Lucius Titius fraudādi cauſa, ſciēte, in bonis quibus de ea re agitur, fecit, ea illi, ſi eo nomine quo agitur, actionem ex edicto meo competere, eſſéve oportet, & ſi nō amplius quàm annus eſt, cùm de ea re de qua agitur experiundi poteſtas eſt, reſtituas. Interdum cauſa cognita, etſi non ſit ſcientia, in factum actionem permittam.

Quorum bonorum.

L. 1 Ait prętor: Quorum bonorum ex edicto meo illi poſſeſsio data eſt, quod de his bonis pro hærede aut pro poſſeſſore poſsides, poſsideréſve, ſi nihil vſucaptum eſſet, quodque dolo malo feciſti, vt id deſineres poſsidere, id illi reſtituas.

Ne vis fiat ei qui in poſſeſsionem miſſus eſt.

L. 1 Ait Prætor: Si quis dolo malo fecerit quominus quis permiſſu meo, eiúſve cuius de ea re iuriſdictio fuerit, in bonorum poſſeſsione ſit, in eum, in factum iudicium, quanti res ea fuerit ob quam in poſſeſsionem miſſus fuit, dabo.

De tabulis exhibendis.

L. 1 Prætor ait: Quas tabulas Lucius Titius ad cauſam teſtamenti pertinentes reliquiſſe dicetur, ſiue hæ penes te ſunt, aut dolo malo tuo factū eſt vt eſſe deſinerent, ita eas illi exhibeas. Item ſi libellus aliúdve quid relictum eſſe dicetur, decreto comprehendam.

Ne

Ne quid in loco sacro fiat.

Ait prętor: In loco sacro facere, ínve eum immittere quid, veto. L. 1

Ne quid in loco publico vel itinere fiat.

Prætor ait: ne quid in loco publico facias, ínve eum locum immittas, qua ex re quid illi damni detur, præterquàm quod lege, senatusconsulto, ædicto, decretóve principum tibi cõcessum est: de eo quod erit factũ, interdictũ dabo. L. 1

Ait prætor: In via publica, vel itinere publico facere, immitteréve quid veto, quò ea via, itérve deterius sit, vel fiat. §. 13

Prætor ait: Quod in via publica itineréve publico factum immissúmve habes, quo ea via, ídve iter deterius sit, fiat, restituas. §. 28

Prętor ait: Quominus illi via publica, itineréve publico ire agere liceat, vim fieri veto. §. 36

De loco publico fruendo.

Prætor ait: Quominus loco publico, quem is cui locãdi ius fuerit, fruendum alicui locauít, ei qui cõduxerit, socióve eius, ex lege locationis frui liceat, vim fieri veto. L. 1

De via publica & itinere publico reficiendo.

Prętor ait: Quominus illi viam publicã, itérve publicum aperire reficere liceat, dum ne ea via itérve deterius fiat, vim fieri veto. L. 1

De fluminibus, & ne quid in flumine publico ripáve eius fiat, quo peius nauigetur.

Ait prętor: Ne quid in flumine publico, ripáve L. 1

eius facias, ne quid in flumine ripáve eius facias vel immittas, quo ſtatio itérve nauigii deterius ſit, fiat.

§. 13 Ait prætor: Quod in flumine publico, ripáve eius fiat, ſi quid in flumẽ ripámve eius factum immiſſúmve habeas, quo ſtatio itérve nauigii deterius ſit, fiat, reſtituas.

Ne quid in flumine publico ripáve eius fiat quo aliter aqua fluat quàm priore æſtate fluxerat.

L. 1 Ait prætor: In flumine publico, ínve ripa eius facere, aut in flumen ripámve eius immittere, quò aliter aqua fluat quàm priore æſtate fluxerat, veto.

§. 9 Ait prętor: Quod in flumine publico, ripáve eius factum ſit: ſiue quod in flumen publicum, ripámve eius immiſſum habes: ſi ob id aliter aqua fluat, quàm priore eſtate fluxit, reſtituas.

Vt in flumine publico nauigare liceat.

L. 1 Prætor ait: Quominus illi in flumine publico nauem, ratẽ agere, quóve minus in ripa onerare, exonerare liceat: vim fieri veto.

§. 1 Item ait prætor: vt per lacum, foſſam, ſtagnum publicum, nauigare liceat: interdicam.

De ripa munienda.

L. 1 Prætor ait: Quominus illi in flumine publico ripáve eius opus facere, ripæ, agríve qui circa ripam eſt, tuẽdi cauſa liceat, dum ne ob id nauigatio deterior fiat: ſi tibi dãni infecti in an-

nos decem boni viri arbitratu vel cautum, vel satisdatum est, aut per illum nō stat quominus boni viri arbitratu caueatur, vel satisdetur, vim fieri veto.

De vi & vi armata.

Prætor ait: Vnde tu illū vi deiecisti, aut familia tua deiecit: de eóque quod ille tunc ibi habuit, tantummodo intra annum: post annum verò de eo quod ad eum qui vi deiecit, peruenerit, iudicium dabo. L. 1

Vti possidetis.

Ait prætor: Vti eas ædes, de quibus agitur, nec vi, nec clam, nec pręcario alter ab altero possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto. L. 1

De superficiebus.

Ait prætor: vti ex lege locationis siue conductionis superficie, de qua agitur, néc vi, nec clā, nec præcario alter ab altero fruimini: quominus ita fruamini, vim fieri veto. Si qua alia actio de superficie postulabitur, causa cognita iudicium dabo. L. 1

De itinere actúque priuato.

Prætor ait: Quo itinere actúque priuato quo de agitur, vel via hoc anno nec vi, nec clā, nec precario ab illo vsus es: quominus ita vtaris, vim fieri veto. L. 1

Ait prætor: Quo itinere actúq; hoc anno non vi, non clam, nō precario ab alio vsus es: quominus id iter actúmque, vt tibi ius est, reficias, L. 3. §. 8

vim fieri veto.

De aqua quotidiana & æstiua.

L. 1 Ait prætor: Vti hoc anno aquam, de qua agitur, nec vi, nec clam, nec precario ab illo duxisti: quominus ita ducas, vim fieri veto.

§. 28 Ait prętor: Vti priore ęstate aquam de qua agitur, nec vi, nec clã, nec precario ab illo duxisti, quominus ita ducas, vim fieri veto. inter hæredes, emptores, & bonorum possessores interdicam.

§. 36 Ait prætor: Quo ex castello illi aquam ducere ab eo cui eius rei ius fuit, permissum est: quominus ita vti permissum est, ducat, vim fieri veto.

§. 37 Quandocunque de opere faciendo erit interdictum, damni infecti caueri iubebo.

De Riuis.

L. 1 Prætor ait: Riuos, specus, septa reficere, purgare, aquæ ducendæ causa, quominus liceat illi, dum ne aliter aquam ducat quàm vti priore æstate non vi, nõ clam, non precario, à te conduxit, vim fieri veto.

De fonte.

L. 1 Prætor ait: Vti de eo fonte, quo de agitur, hoc anno aqua nec vi, nec clã, nec precario ab illo vsus es: quominus ita ea vtaris, vim fieri veto. De lacu, piscina, puteo, item interdicam.

§. 4. Prætor ait: Quominus fontem, quo de agitur, purges, reficias, vt aquã coërcere, vtiq; ea pos-

ſis: dum ne aliter vtaris, atq; vti hoc anno nō vi, non clam, non precario ab illo vſus es: vim fieri veto.

De cloacis.

Prætor ait: Quominus illi cloacam quæ ex ædibus eius in tuas pertinet ædes, qua de agitur, purgare, reficere liceat, vim fieri veto. Damni infecti quod operis vitio ſit factum, caueri iubebo. L. 1

Ait prætor: Quod in cloacam publicam factū ſiue immiſſum habes, quo vſus ei9 deterior ſit, fiat, reſtituatur. Itē ne quid fiat immittatúrve, interdicam. §. 11

Quod vi aut clam.

Prætor ait: Quod vi aut clam factū eſt: qua de re agitur, id, cùm experiundi poteſtas eſt, reſtituas. L. 1

De remiſſionibus.

Ait prætor: Quod ius ſit illi prohibere, ne ſe inuito fiat in eo, nunciatio teneat. cęterum nunciatione remiſſa faciet. L. 1

De precario.

Ait prætor: Quod precario ab illo habes, aut dolo malo feciſti, vt deſineres habere, qua de re agitur. id illi reſtituas. L. 2

De arboribus cedendis.

Ait prætor: Quæ arbor ex ædibus tuis in ædes illius impendet, ſi per te ſtát, quominus eam adimas, tūc quominus eam illi arborē adimere, L. 1

ſibíque habere liceat,vim fieri veto.

§.7 Ait prætor: Quæ arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, ſi per te ſtat, quominus pedes quindecim à terra eam altius coërceas, tunc quominus illi ita coërcere,lignáque ſibi habere liceat,vim fieri veto.

De Glande legenda.

L. 1 Ait prætor:Glandem quæ ex illius agro in tuũ cadit,quominus illi tertio quoque die legere auferre liceat,vim fieri veto.

De libero homine exhibendo.

L. 1 Ait prętor:Quem liberum hominẽ dolo malo retines,exhibeas.

De liberis exhibendis vel deducendis.

L. 1 Ait prætor:Qui quæve in poteſtate Lucii Titii eſt,ſi is eáve apud te eſt, dolóve malo tuo factũ eſt, quominus apud te eſſet,ita eum eámve exhibeas.

L. 3 Ait prætor:Si Lucius Titius in poteſtate Lucii Titii eſt, quominus eũ Lucio Titio deducere liceat, vim fieri veto.

Vtrobi.

L. 1 Ait prætor: Vtrobi hic homo de quo agitur, maiore parte huius anni fuit, quominus is eum ducat, vim fieri veto.

De migrando.

L. 1 Prætor ait:Si is homo, de quo agitur, nõ eſt ex his rebus de quibus inter te & actorem conuenit,vti quæ in eam habitationẽ,de qua agitur,

introducta, importata, ibi, nata, factáve eſſent, ea pignori tibi pro mercede eius habitationis eſſent: ſiue ex his rebus eſt, & ea merces tibi ſoluta, eóve nomine ſatisfactũ eſt, aut per te ſtat quominus ſoluatur, ita quominus ei qui pignoris nomine eum induxit, inde abducere liceat, vim fieri veto.

De vi bonorum raptorum.

Prętor ait: Si cui dolo malo hominibus coactis L. 2
damni quid factum eſſe dicetur, ſiue cuius bona rapta eſſe dicentur, eidémvi bonorũ raptorum intra annum in quadruplum, poſt annũ in ſimplum iudicium dabo. Item ſi ſeruus feciſſe dicetur, in dominũ iudiciũ noxale dabo.

Prętor ait: Cuius dolo malo in turba damnum L. 4
quod factum eſſe dicetur, in eum in anno quo primum de ea re experiũdi poteſtas fuerit, in duplũ, poſt annum in ſimplum iudiciũ dabo.

De incendio ruina naufragio rate naue expugnata.

Prætor ait: In eum qui ex incẽdio, ruina, nau- L. 1
fragio, rate naue expugnata, quid rapuiſſe, recepiſſe dolo malo, damníve quid in his rebus dediſſe dicetur: in quadruplum in annũ quo primùm de ea re experiũdi poteſtas fuerit, poſt annum in ſimplum iudiciũ dabo. Item in ſeruum & familiam noxale iudicium dabo.

De iniuriis & famoſis libellis.

Prętor edixit: Qui agit iniuriarum, certum di- L. 7

cat quid iniuriæ ſit factum: quia qui famoſam actionem intendit, non debet vagari cum diſcrimine alienæ exiſtimationis, ſed deſignare certum, & ſpecialiter dicere quam ſe iniuriam paſſum contendat.

L. 15. §. 2 Ait prætor: Qui aduerſus bonos mores conuicium cui feciſſe dicetur, cuiúſve opera quid factum eſſe, quo aduerſus bonos mores conuicium fieret, in eum iudicium dabo.

§. 15 Ait prætor: Ne quid infamãdi cauſa fiat, ſiquis aduerſus ea fecerit, prout quæque res erit, animaduertam.

§. 22 Prætor ait: Qui ſeruum alienum aduerſus bonos mores verberaſſe, deq; eo ſine iuſſu domini, quæſtionem habuiſſe dicetur, in eum iudicium dabo. Item ſi quid aliud factum eſſe dicetur, cauſa cognita iudicium dabo.

L. 17. §. 10 Ait prætor: Si ei qui in alterius poteſtate erit, iniuria facta eſſe dicetur: & neque is, cuius in poteſtate eſt: præſens erit, neque procurator quiſquam exiſtat, qui eo nomine agat, cauſa cognita, ipſi qui iniuriã accepiſſe dicetur, iudicium dabo.

De ſepulchro violato.

L. 3 Prætor ait: Cuius dolo malo ſepulchrum violatum eſſe dicetur, in eum in factũ iudicium dabo: vt ei ad quem pertineat, quanti ob eam rem æquum iudicanti eſſe videbitur condemnetur: ſi nemo erit, ad quem pertineat, ſiue agere

gere nolet, quicunque agere volet, centum ei aureorũ iudicium dabo. Si plures agere volẽt, cuius iustißima causa esse videbitur, ei agendi potestatem faciam.


Si quis in sepulchro dolo malo habitauerit, ædificiúmve aliud, quàm quod sepulchri causa factũ sit, habuerit, in eum (si quis eo nomine agere volet) ducentorum aureorum iudicium dabo.

Finis edictorum Prætoriorum.

Sequuntur eiusdem Stephani Perræi Aureliensis Tabulæ cõpendiosæ, ex Iustinianæis institutionibus iuxta congruum titulorum ordinem desumptæ, & in tres tractatus distributæ: qui numerorum collatione titulorum congruo loco accommodatorum significatiua illustrantur.


INDEX DIVISIONVM QVIBVS tabulæ nostræ illustrantur.


De bipartita totius iuris diuiſione.



De totius Iuris in triplicem tractatum diuiſione.

Quia Ius omne aut publicum aut priuatum exiſtẽs, ad tres articulos pertinet, .l.1.ff. de ſtatu hominum, §.fi. De Iure naturali, gentium & ciuili, in Inſtitutionibus: ideo eorum totidem tractatus conſtituo, quorum diuiſionem continet




Personæ sunt 3.
Liberæ, quę sunt
Ingenuæ, 3. quæ fiunt natiuitate.
Libertinæ, 4. quæ fiunt manumißione. 5.
Seruæ, quæ fiūt Iure
Gētium veluti
Natiuitate,
Captiuitate.
Ciuili, veluti
Sui ipsorum vēditiōe post annum vigesi mū, ad preciū participādū.
Præterea personæ sunt, 6.
Alieni iuris, quæ sūt in potestate
Parētum, 7.
Quales sunt ꝓcreatę iustis nuptiis, 8. legitimæ & adoptiuæ, 9. Soluitur, 10. verò hæc potestas multipliciter.
Dominorum,
Quales sunt seruæ, quę à dominica potestate soluū tur per manumißionem.
Sui iuris, quę sunt aut in
Tutela 11 veluti impuberes, est autem
Testamētaria, 12.
legitima quæ est
Agnatorum 13.
Patronorum. 14.
Parentū, 15.
Fiduciaria. 16.
Datiua. 17.
Cura 18 veluti puberes
Neutro iure,
Quales sunt emācipatæ, aut annis maiores.

Numerorum ex ſuperioribus tabulis collatio, titulorum congruo loco accommodatorum ſignificatiua.


1 Huc primo & congruo loco pertinet Titulus de Iuſtitia & Iure.
2 De Iure naturali, gentium, & ciuili. 3. De Iure perſonarum.
3 De Ingenuis.
4 De Libertinis.
5 Quibus ex cauſis manumittere non licet. De lege Fuſia Canina tollenda.
6 De his qui ſunt ſui aut alieni iuris.
7 De patria poteſtate.
8 De nuptiis.
9 De adoptionibus.
10 Quibus modis ius patriæ poteſtatis ſoluitur.
11 De tutelis.
12 Qui teſtamento tutores dari poſſunt.
13 De legitima agnatorũ tutela. De capitis diminutione
14 De legitima patronorum tutela.
15 De legitima parentum tutela.
16 De fiduciaria tutela.
17 De Attiliano tutore, & eo qui ex lege Iulia & Titia dabatur.

Duo ſequẽtes tituli, ſcilicet, De autoritate tutorũ, Quibus modis tutela finitur, ſunt præcedentiũ tutelarum communes.

18 De curatoribus.


Tres ſequentes, ſcilicet, De ſatiſdatione tutorũ vel curatorum, De excuſatione tutorum vel curatorum, De ſuſpectis tutoribus vel curatoribus, ſunt tam tutelæ quàm curæ communes.

Tractatus ſecundus, de generali rerum, earumque acquirendarum diuiſione.




Hęreditas defertur, à
Teſtato, vt
Teſtamēto, 7. quod
Firmatur iuſta
Exhæredatione, 8. quæ eſt
Expreſſa, reſpectu teſtatoris.
Tacita, reſpectu teſtatricis.
Inſtitutione hęredū 9. qui ſunt 14
Sui & neceſſarij.
Neceſſarij tantùm.
Extranei voluntarij.
Subſtitutione, quæ eſt
Vulgaris. 10.
Pupillaris. 11.
Exemplaris.
Breuiloqua.
Compendioſa.
Infirmatur. 13. quod accidit
Ipſo iure, quādo
Rumpitur, veluti
Agnatione ſui hęredis.
Sequuta adoptione.
Poſteriore iuſto teſtamento.
Irritū fit, vt
Capitis diminutione teſtatoris.
eiuſdem Arrogatione.
officio iudicis
Quando proponitur quærela Inofficioſi teſtamenti. 14
Codicillis 20
Inteſtato. 12.
Vbi ſpectatur ordo
Suorum hæredum,
Agnatorum, 22. &
Cognatorum, 13.


Bonorũ possesſionis deferendæ, ſiue acquirendæ, diuiſio.



Numerorum ex prioribus tabulis collatio, titulorum congruo loco accommodatorum significatiua.

1 Huc primo & congruo ordine pertinent tituli, De rerum diuisione, De rebus corporalibus, & incorporalibus.
2 De Seruitutibus rusticorum prædiorum & vrbanorum.
3 De vsufructu.
4 De vsu & habitatione.
5 De vsucapionibus & longi temporis præscriptionibus.
6 De donationibus, Quibus alienare licet vel non, Per quas personas nobis acquiritur.
7 De testamentis ordinandis, De militari testamento, Quibus non est permissum facere testamentū.
8 De exhæredatione liberorum.
9 De hæredibus instituendis.
10 De vulgari substitutione.
11 De pupillari substitutione.
12 De hętedū qualitate & differētia, titulus, hîc nō inepto ordine interiicitur.
13 Quibus modis testamenta infirmentur.
14 De inofficioso testamento.
15 De legatis.
16 De ademptione legatorum.
17 De lege Falcidia.
18 De fideicommissariis hæreditatibus.
19 De singulis rebus per fideicommissum relictis.
20 De codicillis.
21 De hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur.
22 De successione agnatorum legitima. Duo sequentes tituli (scilicet, de Senatusconsulto Tertuliano, & De Senatuscōsulto Orficiano) acquirendæ ab intestato hæreditatis, gradui derogant.
23 De successione cognatorum. Quatuor sequentes tituli (scilicet De gradibus cognationū, De seruili cognatione, De successione libertorum, De assignatione libertorum) quasi peculiarem habent tractatum, ideòque diuisioni nostræ parum congruunt.
24 De bonorum possessionibus.
25 De acquisitione per arrogationem.
26 De eo cui libertatis causa bona assignantur. Sequens titulus (scilicet, De successionibus quæ fiebant per bonorum venditiones ex Senatusconsulto Claudiano) est de numero vniuersalium acquisitionum, verùm à Iurę re vera explosum missum facimus.


Tractatus tertius,generalem obligationum,& actionum diuisionem continens.



Numerorum ex ſuperiori tabula collatio, titulorum congruo loco accommodatorum ſignificatiua.


1 Huc primo & congruo loco pertinet Titulus de obligationibus.
2 Quibus modis re contrahitur obligatio.
3 De verborum obligationibus.
4 De diuiſione ſtipulationum.
5 De inutilibus ſtipulationibus.
6 De duobus reis ſtipulandi & promittendi, De ſtipulatione ſeruorum.
7 De fideiuſſoribus.
8 De literarum obligatione.
9 De obligationibus ex conſenſu.
10 De emptione & venditione.
11 De locatione & conductione.
12 De ſocietate.
13 De mandato.
14 De obligationibus quæ ex quaſi cõtractu naſcuntur.
15 De obligationibus quæ ex delicto naſcuntur.
16 De vi bonorum raptorum.
17 De lege Aquilia.
18 De iniuriis.
19 De obligationibus quæ ex quaſi delicto naſcuntur.
20 Per quas perſonas nobis obligatio acquiritur.
21 Quibus modis obligatio tollitur.

De Actionum generalissima diuisione.




Actiones reales sunt
nō Præiudiciales, quales sūt
Vendicatoriæ, quę sunt
Directę, quales sunt
Corporales, vt
Rei vendicatio.
Publiciana.
Incorporales, vt
Confessoria.
Negatoria.
Præparatoriæ, vt
Ad exhibēdum.
Rescissoria.
Reuocatorię, quales sunt
Pauliana.
Fauiana.
quasi Fauiana.
Caluisiana.
Interdictum fraudis.
Auocatorię, quales sunt
Seruiana.
Quasi Seruiana.
Saluianum interdictum.
Præiudiciales, quæ dantur
Parenti & filio.
Domino & seruo.
Patrono & liberto.

Actionum personalium generalis diuisio, Appendix.



Actionum possessoriarum, siue (vt vocant) interdictorum, generalis diuisio, Appendix.



Actionum criminalium, vel publicorum (vt vocant) iudiciorum, generalis diuiſio.

- Actiones criminales, ſiue publica iudicia ſunt
  - Ordinaria, qualia ſunt
    - Crimẽ lęſę maieſtatis.
    - Adulterium.
    - Stuprum.
    - Inceſtus.
    - Vis publica.
    - Vis priuata.
    - Homicidium.
    - Magia ſiue Sortilegiũ.
    - Violatio ſepulchrorũ.
    - Plagium.
    - Crimen falſi.
    - Crimẽ repetundarum.
    - Crimen peculatus.
    - Sacrilegij crimen.
    - Crimen ambitus.
    - Seditio, & alia nonnulla.
  - Extraordinaria, qualia ſunt
    - Crimẽ pręuaricationis.
    - Crimen ſtellionatus.
    - Crimen abigeatus.
    - Incendium.
    - Concuſsio.
    - Crimẽ termini moti.
    - Crimẽ receptatorum.
    - Crimen effractorum.
    - Crimen ſollicitatorũ alienarum nuptiarum.
    - Crimen eius quę data opera partum abegit, & alia nonnulla.

Exceptionum generalis diuisio, Appendix.



Numerorum ex ſuperioribus tabulis collatio, titulorum congruo loco accommodatorum ſignificatiua.

1 Huc primo & congruo loco pertinet Titulus De actionibus.
2 Quod cum eo qui in aliena poteſtate negotium geſtum eſſe dicitur.
3 De noxalibus actionibus. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicetur.
4 De interdictis.
5 De his per quos agere poſſumus.
6 De ſatiſdationibus.
7 De publicis iudiciis. Hic non inepto ordine ſubiicio titulum, De perpetuis & temporalibus actionibus,& quæ ad hæredes, & contra hæredes tranſeunt.
8 De exceptionibus.
9 De replicationibus.
10 De pœna temerè litigantium.
11 De officio Iudicis.

FINIS.

Index titulorum qui soli edictis prætoriis illustrantur & primò eorum qui sunt Primi Voluminis.

Voluminis secundi.

Voluminis tertii.

FINIS.

